



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



AH7178.56.5


Harvard College Library



FROM THE FUND OF

CHARLES MINOT

Class of 1828









**DE COLONATU ROMANO EJUSQUE ORIGINE.**



---

M. J. PORTIELJE, STOOMDRUKKERIJ „DE BLAEUWE WERELT“, AMSTERDAM.

DE COLONATU ROMANO  
+ + EJUSQUE ORIGINE. + +



DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM EX AUCTORI-  
TATE RECTORIS MAGNIFICI J. F. HOUWING, IN FAC.  
JUR. PROF. ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS  
PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM  
HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTO-  
RATUS SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM  
DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNI-  
VERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME  
CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET  
HENRICUS BOLKESTEIN, AMSTELODAMENSIS DIE  
XXVII MENSIS MARTII ANNI MCMVI HORA IV. ☞ ☞



AMSTELODAMI APUD S. L. VAN LOOY. ANN. MCMVI.

AH 7178.56.5  
~~11295.24.5~~



Mintford.

**CARISSIMAE MATRIS PIAE MEMORIAE  
OPTIMO PATRI**



# INDEX ARGUMENTORUM.

---

**PRAEFATIO** . . . . . p. XIII.

**Caput I.** De colonatus jure . . . . . p. 1.

Qui coloni dicti sint. p. 1. De fontibus. p. 2. Quid legum proprium sit. p. 2. Colonos solo adhaerere. p. 3. Quomodo lex adhaerentiam tutata sit. p. 6. Adhaerentiam etiam in liberos cadere. p. 12. Num quo alio modo praeterquam per originem colonatui obnoxius fieri potuerit. p. 23. Quomodo quis a colonatu liberari potuerit. p. 28. Quibus rebus coloni convenient cum servis, quibus autem differant. p. 32. De variis colonorum appellationibus et generibus. p. 35. De originariis sive originalibus. p. 36. De inquilinis. p. 39. De adscripticiis. p. 45. De tributariis. p. 58. De colonis privatis et colonis rei privatae. p. 63. De tributis et redditibus colonorum. p. 66. De militia colonorum. p. 71. De jurisdictione inter colonos et alios colonos vel cives. p. 73. Quam late colonatus patuerit. p. 79.

**Caput II.** Num iis saeculis, quae colonatui antecesserunt, ubique in locum agricularum servi rustici subierint . p. 82.

Sunt qui putent primis saeculis aetatis imperatoriae in locum agricularum culturae laborem servorum rusticorum substitutum esse. p. 82. Quae in universum huic opinioni obstant. p. 83. Colonatum non ortum esse ex servorum manumissione. p. 84. Num ante colonatum semper ordo agricularum vigerit. p. 87. Possessionem permagnorum agrorum nunquam parvam possessionem plane devoravisse. p. 88. Neque culturam colonorum labori servorum cessisse. p. 91. Quibus locis contraria sententia nitatur. p. 91. Quam ob causam hujusmodi loci parum valeant ad certam opinionem constituendam. p. 93. Qui antea jam crediderint semper colonos fuisse. p. 94. Quid in hac re ex scriptoribus aequalibus lucrari possimus, p. 96. ex Cicerone, p. 96. ex Sallustio, p. 98. ex Caesare, p. 99. ex Lucano, p. 100. ex Vergilio, Horatio, Tibullo, Propertio, Ovidio, p. 101. e Seneca, p. 103. ex Petronio, p. 104. e Columella, p. 105. e Martiali, p. 107. e Statio, p. 107. e Plinio, p. 108. e Tacito, p. 110. ex Apulejo. p. 110. Quid ex Digestis. p. 110. Quid ex inscriptionibus. p. 111. Quas ob causas nunquam agricularum cultura servorum labori cedere potuerit. p. 112. Cultura servorum non altiore gradum repraesentat in bonorum procreatione quam cultura

parvorum agrorum a liberis hominibus singillatim exercitata. p. 112. Cultura colonorum etiam commodis coartationis frui poterat. p. 113. Labor servorum semper damnosus est. p. 113. Quas ob causas tamen is aliquamdiu culturam colonorum ope exercitam superaverit. p. 114. Servi militia vacabant. p. 115. Servi parvo pretio poterant comparari et ali. p. 115. Hae causae magnae culturae dilabebantur aetate imperatoriae. p. 115. Haud magis quam labor servorum res pecuaria in Italia omnes agros desertos reddidit. p. 116. Quid tandem spectaverit Plinius Major questus latifundia Italiam perdidisse. p. 118.

### Caput III. De colonatus origine . . . . . p. 119.

Quae quaestio agatur in colonatus origine. p. 119 Quibus rebus coloni in saltibus collocati differant ab eis, quorum jus in Digestis tractatur. p. 120—147. *a.* Vivunt sub locatione partiaria. p. 120. Quid ex hac re collegerit Fustel de Coulanges. p. 121. Quae huic opinioni obstant. p. 122. Quibus rebus colonus partiarus ei colono, qui ad nummos numeratos conduxit, inferior sit. p. 123. *b.* Deest lex locationis, in cujus loco valet lex saltus. p. 125. Quae hujusmodi legis instituta sint. p. 126. Quibus rebus occupatio rudis agri differat ab emphyteusi. p. 127. Quae sit indoles legis saltus. p. 129. *c.* Praebere debent operas et juga. p. 130. Quibus causis operae diurnae adhiberi soleant. p. 130. Quomodo ortae sint in Borussia saeculo praecedente. p. 131. Simile quid inveniri in industria ad res manu faciendas pertinente. p. 133. Conclusio. p. 134. Aetate imperatoria agri deseruntur. p. 135. Quae causae fuerint emigrationis in urbes. p. 135. Frumentationes Romae habitae. p. 135. Clientela. p. 136. Similia instituta Constantinopoli, Antiochiae, Alexandriae. p. 137. Ludi festi. p. 138. Immunitas capitacionis qua plebs urbana fruebatur. p. 138. Loci de inopia operariorum rusticorum et agris desertis. p. 138. De collocationibus barbarorum in solo Romano. p. 139. Nihil pertinent ad colonatus originem. p. 140. De nova culturae ratione in saltibus. p. 141. De operis diurnis. p. 142. Quid colonorum Romanorum semper peculiare fuerit. p. 144. Unde operarum formam sumpserint possessores. p. 146. Qua re hi coloni adhuc differant ab adhaerentibus. p. 147. Quorum gratia adhaerentia in jus publicum sit recepta. p. 149. In commodum possessorum. p. 150. In commodum fisci. p. 151. Nusquam dicitur adhaerentia esse in commodum „agriculturae”. p. 152. Quae propria ratio sit adhaerentiae. p. 153. Quam ob causam praestet „agriculturae” enuntiatio abstinere. p. 154. Quid imperatores permoverit ad vim reipublicae afferendam. p. 155. Imperator omnium maximus erat possessor. p. 155. Fiscus hoc tempore idem est ac aerarium. p. 156. De ratione tributorum. p. 157. De conscriptionis modo ad adhaerentiam fortasse pertinente. p. 159. Sunt qui putent adhaerentiam in saltus imperatoriis primum proclamatam esse. p. 160. Quae huic opinioni obstant. p. 162. Adhaerentia fortasse jure privato, per locationem perpetuam extorqueri poterat. p. 163. Quomodo possessores eam tutati sint. p. 164. Aliis quoque temporibus praescripta juris privati jure publico vindicata sunt. p. 165. Adhaerentia non jure quodam constituta est, sed vi. p. 168. Initio coloni fugitivi magistratum ope reducebantur, postea demum adhaerentia ipsis

verbis proclamata est. p. 169. De nonnullis eventibus saltuum exemptionis. p. 170. Quid inde evaserit. p. 171. Qui sint originarii. p. 172. Quid saltus imperatorii valuerint ad adhaerentiam constituendam, p. 173. Quid servi. p. 173. Conclusio. p. 174. Ex qua sequitur semper liberos quoque colonos permansisse. p. 175. Quale iudicium proferendum sit de colonatu. p. 176. Conclusio. p. 178.

**Appendix I.** Index legum in quibus de colonis solo  
adhaerentibus agitur . . . . . p. 181.

**Appendix II.** Tituli librorum qui in hac dissertatione  
citati sunt aut ad idem argumentum spectant. . . p. 188.







## PRAEFATIO.

Duae imprimis sunt causae cur operae pretium mihi visum sit colonatus Romani historiam denuo scribere. Postquam enim SAVIGNY superiore saeculo ineunte *jure* colonatus egregie exposito omnium quae deinde secutae sunt commentationum ejusdem argumenti quasi fundamenta jecit, nemo jam ipsa haec fundamenta examinare instituit; unde factum est ut a<sup>o</sup>. MDCCCLXXXVIII v. cl. FUSTEL DE COULANGES, et post eum alii quoque, XLIII leges, quae ad colonatum pertinerent, extare crederet, cum tamen jam tunc multo plures servatas esse constaret. Mihi autem de hac re dedita opera quaerenti CXXX fere leges oblatae sunt, quibus de colonis solo adstrictis aliquid majoris minorisve momenti discimus. Nova igitur materia cum tanta accesserit veteri, multo accuratius quam adhuc licuit, conditionem colonariam cognoscere possumus. Quam ego eo libentius mihi sumpsi tractandam, quod ex omnibus „adhaerentiae” generibus, quae memorat historia hominum, Romana, quantum quidem ad singulas res attinet, longe optime memoriae est tradita.

Deinde vero ad *originem* quoque colonatus judicandam haud alienum mihi visum est proponere quantum recentioribus indagationibus profecerimus. Nempe postremis hisce annis permulta et egregia de ea sunt conscripta, sed plerumque obiter tantum, cum de saltuum temperatione ageretur. Deerat, ut monuit v. cl. GRÜNBERG (in noto lexico „Handwörterbuch der Staats-



## PRAEFATIO.

Duae imprimis sunt causae cur operae pretium mihi visum sit colonatus Romani historiam denuo scribere. Postquam enim SAVIGNY superiore saeculo ineunte *jure* colonatus egregie exposito omnium quae deinde secutae sunt commentationum ejusdem argumenti quasi fundamenta jecit, nemo jam ipsa haec fundamenta examinare instituit; unde factum est ut a<sup>o</sup>. MDCCCLXXXVIII v. cl. FUSTEL DE COULANGES, et post eum alii quoque, XLIII leges, quae ad colonatum pertinerent, extare crederet, cum tamen jam tunc multo plures servatas esse constaret. Mihi autem de hac re dedita opera quaerenti CXXX fere leges oblatae sunt, quibus de colonis solo adstrictis aliquid majoris minorisve momenti discimus. Nova igitur materia cum tanta accesserit veteri, multo accuratius quam adhuc licuit, conditionem colonariam cognoscere possumus. Quam ego eo libentius mihi sumpsi tractandam, quod ex omnibus „adhaerentiae” generibus, quae memorat historia hominum, Romana, quantum quidem ad singulas res attinet, longe optime memoriae est tradita.

Deinde vero ad *originem* quoque colonatus judicandam haud alienum mihi visum est proponere quantum recentioribus indagationibus profecerimus. Nempe postremis hisce annis permulta et egregia de ea sunt conscripta, sed plerumque obiter tantum, cum de saltuum temperatione ageretur. Deerat, ut monuit v. cl. GRÜNBERG (in noto lexico „Handwörterbuch der Staats-

wissenschaften" s. v. Unfreiheit) „eine abschliessende Darstellung." Eam lacunam explere volui, atque tertio capite omnes causas complecti conatus sum, quae conjunctim effecerunt ut colonatus primum in usum, dein etiam in jus publicum reciperetur. Quarum causarum eas, quas hodie oeconomicas dicimus, uberius tractavi, ita tamen ut formam juridicam non neglegere studerem. Quae autem ante Romanam fuerunt adhaerentiae formae, sive in Graecia sive in ipsa Italia, eas, cum in causis de quibus quaesivi, non sint numerandae, ne verbo quidem tetigi. Etiam illas quaestiones, pertinueritne colonatus ad imperii Romani interitum maturandum, quidve valuerit posterioribus temporibus, ab hac dissertatione exclusi. Quodsi nonnunquam recentioris aetatis exempla attuli, comparandi et illustrandi causa tantum id feci, ut ostenderem quomodo in similitudine temporum similia instituta essent orta, minime tamen arbitratus in hujusmodi analogiis ullam vim inesse demonstrandi, si alia argumenta deessent.

Atque haec quidem de jure et origine colonatus I et III capite exposui; altero vero dixi quid sentiendum esse putarem de inveterata illa et etiam nunc vulgata opinione eorum, imprimis oeconomicae disciplinae peritorum, qui credant primis saeculis principatus agrorum ordinem omnino evanuisse et locum suum servis rusticis cecidisse. Jam TH. MOMMSEN monuit hanc sententiam eorum esse non posse, qui Digesta cognovissent; nonnullas etiam inscriptiones attulit, sed eas paucissimas, ut probaret semper colonos fuisse. Neque tamen vera opinio ubique pervicit. Hanc ob rem utilissimum duxi alia inita ratione falsam illam sententiam impugnare, et quam plurimis adhibitis testimoniis auctorum principatus aequalium, neque iis rerum potissimum scriptoribus, ostendere agrorum ordinem non solum nunquam non fuisse, verum etiam semper vulgatum lateque divisum.

Finem faciam praefandi petenda venia si quis forte, cum leget hoc opusculum, offendetur vocabulis locutionibusve inele-

gantibus, barbaris, obscuris. Quam quidem veniam facilius me impetraturum spero, cum monuero legem obstare quominus is, qui doctoratum literarum classicarum petat, in conscribenda dissertatione alio sermone utatur ac latino, in oeconomico autem argumento versanti mihi multas molestias id exhibuisse. Multis sane rerum comprehensionibus, de quibus Romani nunquam cogitaverunt, sua verba invenienda erant, quae hodierni lectores possent intellegere; quae si minus perspicua visa sunt, interpretationem patrio sermone addidi. Unum vero est quod hic semel moneo: id, quod nunc dicimus „gebondenheid aan den grond” („Gebundenheit an der Scholle”) „adhaerentiae” vocabulo me ubique significavisse. —

---



# C A P U T I.

## DE COLONATUS JURE.

QUI COLONI DICTI SINT. Coloni vocabulum aliis temporibus aliter est adhibitum. Per se id nihil significare nisi eum qui colit, sc. agrum, cuius patet; prorsus idem igitur est ac agricola, et eo sensu generali saepissime a poetis imprimis usurpabatur<sup>1)</sup>. Saeculis primis regni Romani, cum re vera is qui agrum possidebat eundem colebat ipse, utrumque coloni nomine significabatur. Inde ii quoque qui ad terras bello captas deducebantur coloni dicebantur, utpote qui ipsi eos agros colerent<sup>2)</sup>. Eo autem tempore, quo partes agri publici inter patricos divisi majores erant quam qui a singulis iisque ditissimis colerentur, aliis sive clientibus sive plebejis egenis colendae tradebantur, dehinc ii praecipue, qui agros non suos sed conductos colebant, coloni dicti sunt<sup>3)</sup>; ei contra, qui terras suas locabant neque ipsi colebant, domini appellabantur. Quamquam ii quoque agricolae, qui proprios quidem agros sed eos exiguos colebant, sive suis manibus sive paucissimis tantum servis adhibitis, coloni dicebantur<sup>4)</sup>; is contra, qui maxima territoria

<sup>1)</sup> Ovid. *Metam.* I. 272, VI. 318, VII. 435; *Fasti.* II. 646, IV. 692.

<sup>2)</sup> Siculus Flaccus. ed. Lachm. p. 135. Coloniae autem inde dictae sunt quod populi Romani in ea municipia miserint colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos.

Isid. *Orig.* 152. Colonia vero est quae defectu indigenarum novis cultoribus adimpletur. Unde et colonia a cultu agri est dicta.

<sup>3)</sup> Passim apud scriptores rei rusticae. Praeterea imprimis in *Cod. Just.* IV. 65. (de locato conducto) et *Dig.* XIX. 1. (locati conducti) ubi alternat cum conductoris vocabulo.

<sup>4)</sup> Cato de re rust. I. 1; Cic. de orat. II. 287; L. 1. C.Th. XI. 24.



possidebat, possessor vocabatur. Aetate demum imperatoria de iis praesertim agricolis vocabulum adhibetur, sive proprium sive alienum praedium colentibus, qui terrae in qua habitant in perpetuum sunt adstricti. In horum tantum condicione describenda disquisitio nostra versatur.

DE FONTIBUS. Testimonia veterum, quae ad cognoscendam colonatus historiam aetate imperatoria nobis praesto sunt, ad tria genera sunt referenda; sunt autem haec:

- a. constitutiones, quas imperatores inde a Constantino per multa saecula deinceps promulgaverunt, quaeque sparsae extant in Codice Theodosiano ejusque Novellis <sup>1)</sup>, in Codice Justiniano <sup>2)</sup> atque ejusdem imperatoris Novellis <sup>3)</sup>;
- b. inscriptiones nonnullae neque eae parvi momenti, magnam partem in Africa inventae, quibus in universum res agraria et saltuum administratio in claram lucem sunt prolatae;
- c. perpauci loci apud scriptores aequales, in quibus de colonis hujus temporis sermo est.

QUID LEGUM PROPRIUM SIT. Leges, quae sive consulto de colonis agunt sive nonnisi occasione data eorum mentionem faciunt, sat multae extant <sup>4)</sup>. Sed quandoquidem sunt a diversis per compluria saecula promulgatae, corpus praebent minime absolutum; quamquam interdum ad singulas res descendunt, id ipsum nos docet multas alias easque gravissimas latere. Quin etiam, utpote in instituto nequaquam novo neque subito creato, sed quod ex solita locandi ratione est profectum, nullibi sedulo enuntiatur quinam inter colonos sint numerandi. Unico enim loco, quo tale cognomen cogitatum videri potest,

<sup>1)</sup> ed. Haenel.

<sup>2)</sup> „ Krüger.

<sup>3)</sup> „ Schöll.

<sup>4)</sup> Quoniam colonatus non certa quadam lege in lucem est proditus, non semper pro certo statuere possumus utrum de colonis liberis sermo fiat an solo adstrictis. Ea profecto lex, quae sine dubio de his agit, data est anno 332: (C.TH. V. 10) Fieri tamen potest ut etiam nonnullis annis ante coloni extiterint glabrae adhaerentes; quod autem eo minus refert quod, quin multa praescripta aequae de utroque genere valuerint, vix dubium est.

nemini, credo, definitio illa satisfaciet: Nov. Just. 162. cap. II „... Ostendit autem constitutio a nobis proposita se tales homines velle incolas praediorum cultoresque agrorum manere, utpote ibi genitos: hoc enim sibi vult coloni appellatio.” Diligentius utique locutus est Augustinus, quum scriberet <sup>1)</sup> „...qui conditioni debebant genitili solo propter agriculturam sub dominio possessorum”. Necesse igitur erit ex multifariis legibus eas res quae inter se cohaerent conjungere, ut imaginem quam maxime perfectam colonorum condicionis nobis informare possimus.

COLONOS SOLO ADHAERERE. Eorum proprium ac singulare, quo maxime a prioribus colonis differunt, id est quod, quamvis liberi, tamen ligati sunt solo in quo habitant quodque colunt. „Debent solo” de iis proclamatur <sup>2)</sup>. Itaque, quoniam quasi partem efficiunt terrae, huic in perpetuum adstricti manento: „Cum satis inhumanum est terram quae ab initio adscripticios habebat suis quodammodo membris defraudari et colonos in aliis terris demorantes dominos terrae maximis damnis afficere, censemus, quemadmodum in curialium condicione nemo ex temporali cursu liberatur, ita nec adscripticiae condicione suppositus ex annalibus curriculum, quantacumque emanaverint, vel quacumque proluxa negotiatione aliquis sibi vindicet libertatem: sed remaneat adscripticius et inhaereat terrae” <sup>3)</sup>. Ne horae quidem momento licet eis discedere; jubet enim constitutio Honorii et Theodosii: „quos ita glebis inhaerere praecipimus, ut ne puncto quidem temporis debeant amoveri” <sup>4)</sup>. Tale tam durum praescriptum pariter severe tueri neminem potuisse per se jam intellegitur atque multis aliis legibus comprobatur. „Inserviant terris” imperat Valentinianus <sup>5)</sup>, atque uno loco

---

<sup>1)</sup> August. De civ. dei. 10. cap. 1.

<sup>2)</sup> C.Th. V. 10.

<sup>3)</sup> L. 23. C.J. XI. 48. Mire haec consentiunt cum verbis quibusdam Symmachi, (Ep. 10. 27) qui corporatos negotiatores, „membra aeternae urbis” vocat.

<sup>4)</sup> L. 15 C.J. XI. 48.

<sup>5)</sup> C.J. XI. 53.

dicuntur „servi terrae cui nati sunt”<sup>1)</sup>. Alibi vocantur „adscripti praediis”<sup>2)</sup> vel „agrorum vinculis adstricti”<sup>3)</sup>.

Ex eo autem quod lege *terrae* sunt ligati, jam sequitur eosdem domino astrictos esse; nec miramur colonos saepissime dici competere *dominis* quippe qui simul sint possessores *terrae*. Ut legimus in Arcadii constitutione quadam: „servos vel tributarios vel inquilinos apud dominos suos volumus remanere”<sup>4)</sup>; alibi imperat idem ut in Palaestina in posterum coloni „domino fundi teneantur”<sup>5)</sup>. Quin etiam colonus dicitur „a domino possideri”<sup>6)</sup>; atque hujus „proprietas” mentio fit<sup>7)</sup>. Nonnunquam utraque ratio dicendi conjuncta exstat quo fit ut semel renunciatum legamus omnes fugitivos „domino vel fundo esse reddendos”<sup>8)</sup>.

Eos tamen jure *terrae* tantum neque domino deberi imprimis ex eo apparet quod hic non suo arbitrio colonis uti potest: nimirum non habet potestatem eos separandi a terra quam colunt. Sine hac minime licet eos vendere<sup>9)</sup>, neque unquam hanc sine colonis<sup>10)</sup>; cujus interdicti causa semel haec datur: „cum plebem constat non tam hominibus quam praediis adscribendam neque auferendam ab eo cui semel posthac deputata fuerit<sup>11)</sup>. Quod si praedii pars venit, tot coloni et servi simul

<sup>1)</sup> C.J. XI. 52.

<sup>2)</sup> L. 26. C.Th. XI. 1.

<sup>3)</sup> L. 3. C.J. XI. 64.

<sup>4)</sup> L. 12. C.J. XI. 48.

<sup>5)</sup> C.J. XI. 51.

<sup>6)</sup> L. 1. C. Th. V. 10.

<sup>7)</sup> L. 1. § 2. C.Th.V.10; L. 1. C.Th. IV. 23. Cf. L. 2. § 2. C.Th. X. 12. cujus se esse profitetur.

<sup>8)</sup> L. 11. C.J. XI. 48.

<sup>9)</sup> L. 7. C.J. XI. 48. Quemadmodem originarios absque terra, ita rusticos censitosque servos vendi omnifariam non licet.

<sup>10)</sup> L. 2. C.J. XI. 48. Si quis praedium vendere voluerit vel donare, retinere sibi transferendos ad alia loca colonos privata pactione non possit. Qui enim colonos utiles credunt, aut cum praediis eos tenere debent aut profuturos aliis derelinquere, si ipsi sibi praedium prodesse desperant. — L. 26. C.Th. XI. 1. . . . si ad alterius personam transferatur praedium, cui certus plebis numerus fuerit adscriptus, venditi onera novellus possessor compellatur agnoscere.

<sup>11)</sup> L. 26. C.Th. XI. 1. „non tam hominibus quam praediis” egregia emendatio Gothofredi est: in codd. legitur „non tam in omnibus praediis.”

traducantur quot in eo sub antiquo possessore fuerant<sup>1)</sup>. Una tantum in re a solo poterant segregari: si duorum praediorum, qui ejusdem possessoris erant, unum colonis indigebat, alterum abundabat, licebat id, quod in uno deerat operarum, eo, quod in altero supererat, supplere, atque talis migratio valebat etiamsi praedia in diversas manus venerant<sup>2)</sup>; ea autem condicione ut posterius translatorum domicilio antiquo redderentur<sup>3)</sup>.

Alio modo adhaerentia infrangebatur quum coloni atque colonae diversorum praediorum matrimonia inter se conjungerent; ex quo apparet illud severum praescriptum „ut ne puncto quidem temporis amoveri deberent” non ad literam accipiendum esse, sed non nisi grave interdictum significare. Hac in re licebat etiam pro iis, quae talibus matrimoniis dominis perie-

<sup>1)</sup> L. 7. C.J. XI. 48. Neque vero commento fraudis id usurpet legis illusio, quod in originariis saepe actitatum est, ut parva portio terrae emptori tradita omnis integri fundi cultura adimatur. Sed cum soliditas fundorum vel certa portio ad unumquemque perveniat, tanti quoque servi et originarii transeant, quanti apud superiores dominos et possessores vel in soliditate vel in parte manserunt.

<sup>2)</sup> Nov. Val. XXXIV. § 18. Si forte duorum praediorum unus dominus atque possessor ex referto originariis et colonis agro ad alterum rus aliquos homines propria voluntate et ordinatione transtulerit, ita id maneat, ut, sive venditione seu donatione seu quolibet alio modo ad diversos dominos res utraque seu donatione seu quolibet alio modo ad diversos dominos res utraque pervenerit, translato origini, jure et titulo revocari non liceat. Indecorum est auctoris facta convelli, quae pro consilio suo et tractatu necessaria judicavit, cum magis deceat ad ejus reverentiam, quae illi visa sunt, inviolata servari.

<sup>3)</sup> L. 13. § 1. C.J. XI. 48. Illud etiam servandum est, ut, si quando utriusque fundi idem dominus de possessione referta cultoribus ad eam coloniam quae laborabat tenuitate transtulerit, idemque fundi ad diversorum jura dominorum qualibet sorte transierint, maneat quidem facta translatio, sed ita, ut praedii ejus dominus, a quo coloni probantur fuisse transducti, translatorum agnationem restituat. — Sine dubio verborum extremorum sententia hujusmodi est ut supra in textu reddita est. Quod si ita est, textus traditus paululum corruptus est. Etenim non dominus illius praedii, *unde sed quo* translati sunt coloni, eos reddere debet. Si legis „a quo” id jungas necesse est cum „dominus”. Sed praeterquam quod mirum videtur „quo” non conjungere cum „ejus”, haec lectio sensum tantum praebet si hoc maxime peculiare ponis, ex duobus illis novis dominis antiquum eundem esse atque eum ipsius illius praedii, quo ante coloni translati sunt; aliter enim eos reddere nequit. Patet autem praeceptum in universum enuntiatum esse; atque hunc sensum assequeris, si legis non *a quo* (= door wien), sed *quo* (= waarheen).

runt, vicarias dare perinde ac pro parte earum liberorum <sup>1)</sup> aut pro omnibus, hoc „ne, quod impium est, filii a parentibus dividantur” <sup>2)</sup>, illud „quia et in ejusmodi personis salva et inconvulsa debet conjunctionis affectio permanere” <sup>3)</sup>.

QUOMODO LEX ADHAERENTIAM TUTATA SIT. Nimirum id prospiciendum erat ut lex adhaerentiam tueretur, atque multae constitutiones id agunt ut aut fugam praeventant aut fugitivis poenam minentur: partim continent interdicta in universum enuntiata, partim quae ad ipsos colonos pertinent vel ad eos qui fugitivos susceperunt.

Si colonus cujusvis condicionis — nam quod ad adhaerentiam attinet omnes eodem jure sunt — alicubi extra domicilium inventus est, statim ad eum redire debet, cujus esse confitetur <sup>4)</sup>, quod si facere recusat neque de ejus condicione dubium est, indicta causa et e vestigio una cum liberis suis restitui debet loco cui natus est <sup>5)</sup>. Primum bona fide possessori redatur, dein causa originis et proprietatis agatur <sup>6)</sup>. Cui haec cura restituendi sit mandata non disertis verbis enuntiatur, sed utraque lex directa est ad Praefectum quendam Praetorio (L. 1. C. Th. V. 10 ab Honorio et Theodosio ad Palladium P. P.; L. 14. C. J. XI. 48 ab Arcadio et Honorio ad Vincen-

---

<sup>1)</sup> L. 1. § 3. C.Th. V. 10... mulierum, quae fuisse originariae docebuntur, si ante vicesimum annum de solo, cui debebantur, abscesserint, universa repetitio cesset; earum vero, quarum intra comprehensum tempus discussio comprobatur, ac de condicione nulla dubitatio est, prorsus dominis perire non sinemus, ea tamen condicione servata, ut vicaria cum agnatione partis tertiae non negetur, quae de colono suscepta est alieno, ita ut pro filiis quoque contrarii praebentur.

<sup>2)</sup> Nov. Val. XXX. § 2.

<sup>3)</sup> Nov. Val. XXX. § 3.

<sup>4)</sup> L. 2. § 2. C.Th. X. 12. Si quis etiam vel tributarius reperitur, vel inquilinus ostenditur, ad eum protinus redeat, cujus se esse profiteretur.

<sup>5)</sup> L. 1. § 1. C.Th. V. 10. Quod si quis originarius intra hos triginta annos de possessione decessit, sive per fugam lapsus, seu sponte seu sollicitatione transductus, neque de ejus condicione dubitatur, eum, contradictione sumpta, loco, cui natus est, cum origine jubemus sine dilatione restitui.

<sup>6)</sup> L. 14. C. J. XI. 48. Si coloni, quos bona fide quisque possedit, ad alios fugae vitio transeuntes necessitatem condicionis propriae declinare temptaverint, bonae fidei possessori primum oportet celeri reformatione succurri, tunc causam originis et proprietatis agitare.

tium P. P. Galliarum); veri igitur simile videtur eisdem mandatum esse jussa legis exequi. Alio loco ipsis verbis provinciis praesidentes ad id designantur<sup>1)</sup>. Si colonus fugitivus in alia provincia versatur ac quam ipse incolit praeses hujus provinciae literis publicis se vertat ad collegam suum ut traditionem fugitivi impetret<sup>2)</sup>. Nulla excusatio valet ad prohibendum quominus revertatur; deletis omnibus privilegiis, quibus forte quocunque modo potitus est, domino ac terrae reddatur<sup>3)</sup>. Neque juvat eos confugisse ad officium quoddam: cum liberis et nepotibus exposcuntur<sup>4)</sup>. Imprimis militiam quibuslibet gradibus actam non ab adhaerentia liberare saepissime renuntiatur<sup>5)</sup>. Etiam qui ad cohortem protectorum

<sup>1)</sup> L. 6. C.J. XI. 48. Omnes omnino fugitivos adscripticios colonos vel inquilinos sine ullo sexus muneris condicionisque discrimine ad antiquos penates, ubi censiti atque educati natiq̄ue sunt, provinciis praesidentes redire compellant.

<sup>2)</sup> Nov. Just. XVII. Cap. 14. . . . Si vero in aliis provinciis agricolae dicuntur esse constituti, literis uteris publicis ad provinciarum praesides, ut in eas fugientes agricolae confitentes aut convictos tradant possessoribus et revocentur ad provinciam cui praesides . . . .

<sup>3)</sup> L. 11. C.J. XI. 48. Originarios colonos nullis privilegiis, nulla dignitate, nulla census auctoritate excusari praecipimus, sed amputatis omnibus, quae aliquotiens per gratiam sunt elicitae, domino vel fundo esse reddendos.

<sup>4)</sup> L. 3. C.J. XI. 68. Servi atque coloni, etiam eorum filii vel nepotes, vel quicumque de fundis ac possessionibus nostris clanculo ad officia convolverint diversa, reddantur, etiamsi armatae habuerint sacramenta militiae. — L. 1. C. J. XI. 64. Quicumque parvuli ex municipibus vel colonis patrimonialibus aut saltuensibus, quorum tamen avi ac patres implicati hujusmodi functionibus fuerint, coniventia militaris officii ad stipendium castrense vel officia diversa transierint, ad munera patriae vel agrorum cultus conventis ducibus tribunis ac praepositis revocentur neque his prosint stipendia.

<sup>5)</sup> L. 3. C. J. XI. 64. Cujuscumque adnotationis vel oraculi dudum impetrati vel postea eliciendi auctoritate submota omnes, quos patrimonialium agrorum vinculis fortuna tenet adstrictos, sub quibuslibet gradibus militantes ad provinciae moderatoris iudicium ilico sub idonea intercessione mittentur. — L. 4. C. J. XI. 63. Super patrimonialium refectione fundorum dudum nostris est legibus constitutum, ut ii, qui eos colentes solum eorum verterant, nunc alia loca deligentes, nunc ad militiam convolantes, ad avitas condiciones et propria jura revocentur. — L. 1. C. J. VII. 38. Saepenumero praeceptum est, ut servi atque liberti, colonique praeterea rei nostrae necnon etiam eorum suboles ac nepotes, quicumque de nostris possessionibus recessissent ac se ad diversa militiae genera contulissent, cingulo, in qua obreperant fraudulenter, exuti, si ad aliquas fortasse transcenderint dignitates, omni temporis definitione submota, nostro patrimonio redderentur.

ascenderunt, militiae detrahendi sunt <sup>1)</sup>. Veteranos solos non jam ad rustica opera revocare licet <sup>2)</sup>.

Etiam ordo clericorum, de quo infra fusius agetur, beneficio vacationis colonatus carebat <sup>3)</sup>. Quodsi colonus confugit ad sacrosancta loca ecclesiae, religiosorum oeconomorum sive defensorum est eum ad domicilium statumque priorem remittere, in quo tamen auctoritatem suam ad modicam humanamque poenam impetrandam adhibere et veniam apud dominum deprecari possunt. Nam praeterquam quod huic per eorum absentiam nocetur, etiam ecclesia detrimentum capit quum fugitivi alendi sint ex pecunia quae egentium et pauperum est <sup>4)</sup>.

Colonus qui aufugit et agrum quem colendum accepit relinquit, domino suo damnum affert et furtum committit cum se ipse furatur <sup>5)</sup>; quapropter tamquam servus in vincula conjicitur <sup>6)</sup>. Quin etiam is, qui conatur tantum aufugere, culpam commeret:

<sup>1)</sup> L. 3. C. J. XI. 68. Nos etiam eos discingi jubemus ac reddi qui protectorum fuerint nomen adepti. — De protectoribus vide Marquardt. Römische Staatsverwaltung, II. p. 609.

<sup>2)</sup> L. 4. C. J. XI. 63. Ceterum eos, qui castrensibus stipendiis otia quietam meruerunt veterani constituti, nequaquam placet tela in usum vomeris ligonisque convertere.

<sup>3)</sup> Nov. Val. XVIII. § 8. Ne quis vero de hac ipsa raritate colonorum clericatus vel militiae privilegio se existimet excusandum, superioris legis, quae hoc inhibet, formam praecipiet custodiri.

<sup>4)</sup> L. 6. § 9. C. J. I. 12. Sane si servus aut colonus vel adscripticius, familiaris sive libertus et hujusmodi aliqua persona domestica vel conditioni subdita conquassatis rebus certis atque subtractis aut se ipsum furatus ad sacrosancta se contulerit loca, statim a religiosorum oeconomis sive defensoribus, ubi primum hoc scire potuerint, per eos videlicet ad quos pertinent, ipsis praesentibus pro ecclesiastica disciplina et qualitate commissi aut ultione competenti aut intercessione humanissima procedente, remissione veniae et sacramenti interveniente securi ad locum statumque proprium revertantur, rebus, quas secum habuerint, reformandis. Diutius enim eos inter ecclesiam non convenit commorari, ne patronis seu dominis per ipsorum absentiam obsequia justa denegentur et ipsi per incommodum ecclesiae egentium et pauperum alantur expensis.

<sup>5)</sup> L. 6. § 9. C. J. I. 12. .... se ipsum furatus. — L. 23. C. J. XI. 48. .... et si celaverit vel separare conatus fuerit, secundum exemplum servi fugitivi sese diutinis insidiis furari intellegatur. ....

<sup>6)</sup> L. 1. C. J. XI. 53. Inserviant terris non tributario nexu, sed nomine et titulo colonorum, ita ut, si abscesserint ad aliumve transierint, revocati vinculis poenisque subdantur.

„ipsos etiam colonos, qui fugam meditantur, in servilem condicionem ferro ligari conveniet, ut officia, quae liberis congruunt, merito servilis condemnationis compellantur implere”<sup>1)</sup>).

Plurimae autem constitutiones poenas minantur iis qui fugitivum colonum susceperunt ejusque labore usi sunt. Primum eis multa solvenda est fisco, cujus summa alias alia memoratur. Arcadius et Honorius eam constituerunt XII librarum argenti<sup>2)</sup>. Alibi autem discernitur inter multam quae pro colono privato et quae pro colono patrimoniali pendi debet; illa constabat VI unciis auri, haec auri libra<sup>3)</sup>. Justinianus jussit quae detrimenta provincia fecisset ea omnia detentatori compensanda esse, sive is possessor ipse esset praedii sive qui ejus locum teneret, i.e. procurator vel conductor<sup>4)</sup>.

Dein antiquo domino detentator restituere debet quae ei eripuit; imprimis scilicet fugitivum ipsum reddere<sup>5)</sup> atque hunc cum omni ejus subole atque peculio: quod valebat etiamsi

<sup>1)</sup> L. 1. C.Th. V. 9. — Alia erat ratio apud servos, vid. L. 225. Dig. L. 16. Fugitivus est non is, qui solum consilium fugiendi a domino suscepit, licet id se facturum jactaverit, sed qui ipso facto fugae initium mente deduxerit; . . . et ideo fugitivum quoque et erronem non secundum propositionem solam sed cum aliquo actu intellegi constat.

<sup>2)</sup> L. 12 C. J. XI. 48. Si quis igitur ex memoratis fugitivis apud quemlibet fuerit repertus, duodecim libras argenti fisco nostra inferat detentator.

<sup>3)</sup> L. 2. C.Th. V. 9. Quisquis colonum juris alieni aut sollicitatione susceperit aut occultatione celaverit, pro eo, qui privatus erit, sex auri uncias, pro eo, qui patrimonialis, libram auri cogatur inferre. — Extremum illud repetitur in: L. 2. C. J. XI. 64. Quisquis colonum patrimonialem aut sollicitatione susceperit aut occultatione celaverit, non solum ipsum restituere, sed etiam libram auri poenae nomine cogatur inferre.

<sup>4)</sup> Nov. Just. XVII. cap. 14. Sed etiam suscipientes alienos agricolas sic odio habebis, sic compelles, cito reddere quod suscipiunt male, ut, si plurimum manserint inoboedientes, omne quidquid onus provinciae est, sic illis possessionibus imponens. . . . . Competens est enim talia studentem hinc onus et rerum diminutionem in sua facultate cognoscere, ut minoratus cognoscat, quantum est laedere et delinquere in alios. Hoc ipsum age sive praedia possidentes in provincia sint, sive aliquorum aliis competentium gubernatores sint. Oportet enim et possessores illa solum habere quae eis dat lex, et gubernatores alienarum illis praeesse solummodo, quae per conductionem vel alium legitimum eis sunt tradita modum, extraneis autem abstinere, et non providere quidem aliis, laedere vero alios et sibimet lucrum impium hinc acquirere.

<sup>5)</sup> L. 2. C. J. XI. 64. . . . . non solum ipsum restituere. . . . .



fugitivum bona fide atque ejus condicionis ignarus susceperat, postea demum eum alienum esse cognoverat <sup>1)</sup>. Praeterea autem alium quoque colonum ejusdem aestimationis pendere debet <sup>2)</sup>. Porro domino antiquo multam solvat, quae nunc certis nummis (duabus auri libris) constabat <sup>3)</sup>, nunc qua totum damnum acceptum compensaretur, nunc talem cujus modus in auctoritate judicis esset; etiam sic ignorantia status ac originis fugitivi nequaquam excusationi erat <sup>4)</sup>. Postremo omnis temporis, quo fugitivum apud se detinuit, functiones publicas agnoscere debet quas colonus apud antiquum dominum inferre debuerat <sup>5)</sup>, atque

---

<sup>1)</sup> L. 23. § 4. C. J. XI. 48. Nemini autem liceat vel adscripticium vel colonum alienum scienti prudentique in suum jus recipere. Sed et si bona fide eum susceperit, postea autem repperit eum alienum esse constitutum, admonente domino vel ipsius adscripticii vel terrae et hoc faciente per se vel per procuratorem suum hunc restituere cum omni peculio et subole sua.

<sup>2)</sup> L. 12. § 2. C. J. XI. 48. . . . ipsi autem cujus fuit praeter eundem fugitivum alterum etiam ejusdem aestimationis inferre decernimus.

<sup>3)</sup> L. 1. § 2. C. J. XI. 52. Si quis vero alienum colonum suscipiendum retinendumve crediderit, duas auri libras ei cogatur exsolvere, cujus agros transtuga cultura vacuaverit, ita ut eundem cum omni peculio suo et agnatione restituat.

<sup>4)</sup> L. 1. § 1. C. J. XI. 53. . . . . maneatque eos poena, qui alienum et incognitum recipiendum esse duxerint, tam in redhibitione operarum et damni, quod locis quae deseruerant factum est, quam multae, cujus modum in auctoritate judicis collocamus: ita ut etiam dominus fundi, in quo alienus fuisse monstrabitur, pro qualitate peccati coërcitionem subire cogatur nec sit ignoratiae locus, cum ad criminis rationem solum illud sufficiat, quod incognitum sibi tenuit.

<sup>5)</sup> L. 23. § 5. C. J. XI. 48. . . . . et si hoc facere supersederit (sc. fugitivum restituere) omnis quidem temporis, quo apud eum remoratus est, publicas functiones sive terrenas sive animales pro eo inferre compelletur cura et provisione tam eminentissimae praefecturae quam praesidis provinciae; coartetur autem et sic ad restitutionem ejus secundum veteres constitutiones et poenas eis insertas. — L. 8. C. J. XI. 48. Omnes profugi in alieno latebras collocantes cum emolumentis tributariis, salva tamen moderatione, revocentur, scilicet ut si, apud quos homines reperiuntur, alienos esse noverant fugitivos et profugis in lucrum suum usi sunt, hoc est sive excoluerunt agros fructibus dominis profuturos, sive aliqua ab isdem sibi injuncta novaverunt nec mecredem laboris debitam consecuti sunt, ab illis tributa quae publicis perierunt functionibus exigantur. — L. 1. C.Th. V. 9. Apud quemcumque colonus juris alieni fuerit inventus, is non solum eundem origini suae restituat, verum super eodem capitationem temporis (sc. quo apud eum remoratus est) agnoscat.

ea quae hic pro colono impendia fecerat, restituere <sup>1)</sup>. Atque possessores, quatenus quidem senatores erant, pro his tantum colonis fugitivis solita solvere debebant, quorum terrae nullam omnino partem possidebant <sup>2)</sup>.

Ut tamen impune fugitivis potiri possent, possessores hanc rationem inierunt qua legi fraudem facerent: vaga mancipia et vagi coloni, i. e. mancipia et coloni, quae dominis carebant, jure civitati debebantur, sed plerumque iis addicebantur qui eos detulerant. Si igitur detentator coloni fugitivi hunc quasi vagum detulerat, hoc modo proprium sibi faciebat. Qua re perducti Valentinianus et Valens imperaverunt ut, si colonus tamquam vagus delatus esset, diligenter inquireretur num hoc forte fieret ut, quod per dolum sibi assumpsisset aliquis, tali modo ratum facere vellet <sup>3)</sup>.

Ex eo quod hae leges tam multae exstiterunt tamque crebro sunt promulgatae (prima L. 1. C.Th. V. 9 data est anno 332, postremam perscripsit Justinianus (527—565) facile effici potest primum quam proni fuerint coloni ad agros suos deserendos,

---

<sup>1)</sup> L. 6. § 3. C. Th. XI. 24. Hi sane, qui vicis, quibus adscripti sunt, derelictis, et qui homologi more gentilicio nuncupantur, ad alios seu vicos seu dominos transierunt, ad sedem desolati ruris constrictis detentatoribus redire cogantur; qui, si exsequenda protraxerint, ad functiones eorum teneantur obnoxii et dominis restituant quae pro his exsoluta constiterit. — L. 2. § 3. C. Th. X. 12. . . . . ut, si colonus eadem occulere arte quaesiverit, (sc. detentator) indemnitate sarciat tributorum.

<sup>2)</sup> L. 7. C. Th. XI. 1. Compertum est, pro colonis profugis ad exsolvenda vos fiscalia conveniri. Jubemus igitur, si nihil ex eorundem terris senatorum quemquam possidere constiterit, ut nulla cuiquam pensitandi pro his, qui aufugerint, necessitas imponatur. — De hac lege vide infra.

<sup>3)</sup> L. 2. §§ 1. et 3. C. Th. X. 12. Has vero cognitiones ad ordinarios volumus pertinere rectores, ut, delatoribus primitus in medio collocatis, his etiam, qui quasi vagi sacro nominabuntur indulto, ad judicia productis, totius causae interna discutiant, solliciteque ac diligenter interrogent, de quorum dominio fuga vel quo alio genere discesserint, qui petuntur; ut is, in quo vitium deprehenderit, ad dominum sub prosecutione revoce- tur . . . . . Nihilominus etiam eo pergat indago, ut cuncta rimando cognoscat, utrum is fuerit petitionis hortator, qui iniquae retentionis invidiam aliquo necesse habuerit colorare velamine; ut, si colonos eadem occulere arte quaesiverit, indemnitate sarciat tributorum; si servos, ad eam poenam, quae dudum est legibus constituta, teneatur.

dein quam cupidi possessores fuerint fugitivos suscipiendi; itaque ergo quanta inopia fuerit operarum rusticorum.

ADHAERENTIAM ETIAM IN LIBEROS CADERE. Adhaerentiae proprium id esse quod ad liberos quoque transiret et per se jam intellegitur et creberrime in legibus enuntiatur, sive ipsis verbis sive in aliarum rerum contextu. „Hoc tamen in ipsis colonis quam in subole eorum qualiscumque sexus vel aetatis sancimus ut et ipsa semel in fundo nata remaneat in possessione sub isdem modis, isdemque condicionibus sub quibus etiam genitores ejus manere in alienis fundis definivimus”, ita se habet lex Justiniani <sup>1)</sup>. Fugitivi coloni exposcuntur cum origine <sup>2)</sup>, cum subole et nepotibus <sup>3)</sup>, cum omni subole etsi in alia terra eam fecerit <sup>4)</sup>. Etiam si fugitivus ipse fato jam perfunctus est, tamen ejus posterii in potestate domini manent <sup>5)</sup>; idem valet de liberis originariae, quae homini libero alio loco nupta erat, si quidem nati sunt antequam mater praestituto tempore finito libera est facta <sup>6)</sup>; quod si illud tempus non praeterierat, tamen licebat vicarios dare, ne liberi a parentibus sejungerentur <sup>7)</sup>. Etiam in praediis dividendis prospiciendum erat ut unaquaeque familia integra ad possessorem succeden-

<sup>1)</sup> L. 23. § 3. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. V. 10.

<sup>3)</sup> L. 1. C. J. VII. 38.

<sup>4)</sup> L. 23. C. J. XI. 48.

<sup>5)</sup> L. 1. § 2. C. Th. V. 10. Quod si forte ipse, de cujus proprietate certatur, fatali sorte consumptus est, ejus posteritatem agrorum juri cum omni peculio atque mercedibus, velut eo superstite, qui decessit, celeri jubemus executione revocari.

<sup>6)</sup> L. 16. C. J. XI. 48. Mulier, quae fuisse originaria docebitur, si cujuscumque liberi hominis secuta consortium in urbibus vel in quibuscumque locis victura constitit, ejus omnem subolem secundum vetera constituta conveniet revocari.

<sup>7)</sup> Nov. Val. XXX. § 2. Colona vero, quae petitori post XX annorum curricula denegatur, si quem partum ante designatum tempus edidit, priori domino convenit non perire; aequum est, ut ad eum suboles redeat suscepta tunc temporis, cum adhuc mulier competebat, ut damnum amissae matris, quod processu contingit annorum, prolis saltem vindicatio consoletur. Quem casum jubemus vicariorum compensatione finire, ne, quod impium est, filii a parentibus dividantur.

tem transiret<sup>1)</sup>. Supra jam vidimus etiam nepotes eorum qui olim coloni fuerant ad agros colendos revocatos esse<sup>2)</sup>.

Constat igitur in universum liberos colonorum adstrictos fuisse tam conditioni parentum quam eorum domino vel praedio. Poterant autem in vita cotidiana multa usu venire quae diligentius moderari debebant et hanc ob rem peculiari commutatione digna sunt. Talium praeceptorum materia sat ampla in promptu est, distinguuntur enim in legibus sex genera matrimoniorum quae coloni contrahere poterant, nempe

1. cum colonis ejusdem conditionis ejusdemque praedii;
2. cum colonis praedii alieni;
3. cum colonis conditionis alienae;
4. cum iis qui alii conditioni obnoxii sunt ac colonariae;
5. cum servis;
6. cum liberis.

1. Quod ad primum illud attinebat simplex erat ratio: liberi enim permanebant in eadem conditione atque eidem domino sunt subjecti ac parentes.

2. In conubiis secundi generis non semper plane eadem ratio est inita; necesse enim erat contrariis utilitatibus diversorum possessorum pariter prospici. Praeterea distinguendum erit inter conubia quae coloni et ea quae adscripticii inter se conjungebant. De illis Honorius et Theodosius statuerunt<sup>3)</sup> ut mulier

---

<sup>1)</sup> L. 11. C. J. III. 38. Possessionum divisiones sic fieri oportet, ut integra apud successorum unumquemque servorum vel colonorum adscripticiae conditionis seu inquilinorum proxima agnatio vel adfinitas permaneret. Quis enim ferat liberos a parentibus, a fratribus sorores, & viris conjuges segregari? Igitur si qui dissociata in jus diversum mancipia vel colonos traxerint, in unum eadem redigere conantur.

<sup>2)</sup> Vide p. 7 adn. 4.

<sup>3)</sup> L. 1. § 3. C.Th. V. 10. In feminis sane observationem volumus esse diversam. Itaque mulierum, quae fuisse originariae docebuntur, si ante vicesimum annum de solo, cui debebantur, abscesserint, universa repetitio cesset; earum vero, quarum intra comprehensum tempus discessio comprobatur, ac de conditione nulla dubitatio est, prorsus dominis perire non sinemus, ea tamen conditione servata, ut vicaria cum agnatione partis tertiae non negetur, quae de colono suscepta est alieno, ita ut pro filiis quoque contrarii praebeantur. — Gothofredus mutat: „cum agnationis parte tertia“, hujusmodi aliquid profecto propositum est.

apud maritum remaneret, (atque ergo apud ejusdem dominum) dummodo vicaria daretur pro ea ac pro tertia parte liberorum. Quod praeceptum Valentinianus III immutatum recepit atque confirmavit <sup>1)</sup>. Justinianus autem aliter decrevit; statuit enim primo ut colonus fugitivus, si alibi colonam duxisset, domino redderetur cum tot liberis quot dimidio fere temporis ejus absentiae essent nati <sup>2)</sup>; postea autem ut liberi pariter inter dominos patris et matris dividerentur ea condicione ut, si numerus impar esset, mater illum acciperet qui superesset, quod etiam fieret si unus tantum puer esset natus <sup>3)</sup>; simul vetuit possessores talia matrimonia, quandoquidem semel essent contracta, dissolvere, atque suo arbitrio virum aut uxorem aut liberos abstrahere <sup>4)</sup>. Exceptit Zeno imperator ea conjugia quae

<sup>1)</sup> Nov. Val. XXXIV. § 19. Quod autem antehac promulgata lege censuimus, amissae temporibus originariae subolem priori domino non perire, id in argumentum trahi aperta definitione prohibemus: scilicet, secundum legem ad Paladium datam, (L. 1. C. Th. V. 10) subolem dividi censemus, quae de originario suscepta fuerit alieno, Firmine, parens carissime atque amantissime.

<sup>2)</sup> Pragmatica sanctio Justiniani, cap. 16. Servos etiam vel colonos, quos aliquo contigit detineri, suis restitui dominis una cum medii temporis prole jubemus.

<sup>3)</sup> Nov. Just. CLVI. Praef. Qui negotia sanctissimae Apamensis ecclesiae gerunt docuerunt nos, colonos qui ad alios aliquos pertinerent se colonis mulieribus conjunxisse liberosque procreasse, et petierunt, ut sibi restituerentur et coloni et eorum liberi ventrem maternum sequentes. Sed cum haec petant nescire videntur, quid constitutio nostra quae nuper prodiit sibi velit. I. Nam si qui liberi adscripticiis se jungant, secundum rationes in constitutione comprehensas infantes matrem sequuntur, unde ad libertatem non perveniunt; si vero coloni sint, non amplius constitutioni illi omnino locus est, sed quemadmodum nuper decrevimus et sanximus, proles dividitur. Atque si quidem aequalis est numerus natorum, in duas partes dividitur, sin autem inaequalis vel etiam unus solum est natus, tum quod plus est venter habet, quoniam etiam magis laboravit. Et unus quidem si est filius matrem sequitur, sin tres sunt, duo vel duae erunt matris, unus autem domini paterni sequetur dominium, atque ita semper quod superat, sicut ante diximus, venter habet. Et secundum hoc Apamenses quoque prolem dividendam esse cognoscant, ut quod per multa tempora in controversia positum erat intellegant sub legislationem nostram redactum esse.

<sup>4)</sup> Nov. Just. CLVII. Praef. Ex iis quae diverso modo ad nos relata sunt comperimus delinqui aliquid in Mesopotamia et praeterea in Osroena pro-

contracta erant inter colonos privatorum et patrimoniales; etenim liberi ex tali conjunctione procreati omnes imperatoris praediis attribuebantur <sup>1)</sup>).

In matrimoniis quae adscripticii inter se conjungebant olim eadem lex servabatur quae in servis valebat: liberos matrem sequi debere atque ejus domini esse <sup>2)</sup>). Postea autem Justinianus eadem ratione usus est ac in ceteris colonis: liberi enim per sortem inter utrumque dominum dividebantur ita ut

---

vincia indignum temporibus nostris. Consuetudinem enim apud illos esse, ut qui ex diversis praediis orti sint nuptias inter se contrahant, nunc vero dominos conari nuptias dissolvere jam contractas vel liberos inde natos a parentibus abstrahere, atque inde omnes illorum locorum colonos misere affligi, dum viri et mulieres per vim separentur, proles autem ab iis qui eam in lucem produxerunt abstrahantur, et rem sola nostra indigere providentia. I. Sancimus igitur, ut in posterum quidem praediorum domini colonos, quicumque ad eos ex lege pertinent, quomodo voluerant custodiant, ne cum iis qui ex aliis praediis orti sunt nuptias contrahant; nuptiae vero adhuc contractae ratae sint, neu quisquam possit eos qui jam conjuncti sunt secundum morem qui ante obtinuit divellere, aut cogere ut terram ad ipsos pertinentem colant, sed ne liberos quidem a parentibus abripere nomine condicionis colonariae. Sed etiam si quid forte ejusmodi jam factum est, id quoque emendabis et restituendum curabis, sive liberos abripi contigerit sive etiam mulieres, a parentibus dicimus et conjugibus: ut qui ejusmodi posteriore tempore quid facere audeat, etiam de ipso praedio periclitetur. Verum matrimonia a metu nunc imminente liberentur, habeantque parentes liberos ex hac nostra jussione, neve possint praediorum possessores rem subtiliter perscrutari et aut matrimonio junctos aut liberos abstrahere: qui enim quid ejusmodi facere conetur, etiam de ipso praedio periclitabitur, cui scilicet colonos vindicare conatur.

<sup>1)</sup> L. 1. C. J. XI. 69. Si liber colonus vel colona libera tamiaco vel tamiacae matrimonii jure copuletur, filii vel filiae ex hujusmodi contubernio procreati vel procreatae colonis dominicis adnectentur. — Praedia tamiaca, in Cappadocia sita, quibus praeerant Comes domorum et Praepositus sacri cubiculi, partem efficiebant praediorum domus divini; inde colonus tamiacus et dominicus sine discrimine usurpantur. De his vide: His. Die Domänen der römischen Kaiserzeit, p. 28, sqq.

<sup>2)</sup> L. 3. C. J. XI. 54. Si cujuslibet tributarius junxerit sibi tributariam uxorem, vel contrario si cujuslibet ancilla servo se junxerit alieno, tam tributarii quam servi filios matrum sequi condicionem earumque more genetricum suarum dominis subditos esse censemus. — Haec lex, quae in plerisque codicibus deest, a. v. d. Krueger recepta non est, arbitrato eam ex alio codice esse insertam. Nobis autem id parvi refert. — Tributarios eosdem colonos esse intelligendos ac adscripticios infra demonstrabitur.

si numerus impar esset mater eum qui superesset acciperet <sup>1)</sup>).

3. Exstant, ut infra fusius enarrabitur, compluria genera colonorum inter se diversa: erant qui nullo vocabulo adjecto coloni vocabantur, juxta quos ejusdem fere generis inquilini sunt nominandi; deinde autem horum utrique adscripticii esse poterant. Necessesse igitur est leges fuisse qui decernerent qua condicione essent liberi ex hujusmodi promiscuis matrimoniis nati. De quibus tamen perpaucae sunt traditae. Cognovimus ex constitutione quadam Arcadii et Honorii eos liberos quorum parentes coloni et inquilini essent, sive uterque eorum censitus (i.e. adscripticius) esset sive neuter, statum paternum sequi debuisse <sup>2)</sup>. Et Zeno imperator, quum moderaretur proprietatem eorum liberorum qui ex colonis privatis et dominicis nati essent, graviter addidit de liberis ex adscripticiis et colonibus liberis vel ex adscripticiis mulieribus et colonis dominicis natis antiquas leges semper valere <sup>3)</sup>; in qua re fortasse spectavit ad supra memoratam constitutionem.

<sup>1)</sup> Nov. Just. CLXII. Cap. 3. Non abs re autem nobis visum est illud quoque in quaestionem vocatum decisione nostra dignari. Nam si adscripticia mulier cum adscripticio aliquo qui ad alium pertineat inierit, de prole quaesitum est, si liberi ex iis nascantur, utrum ad dominum viri an ad dominum mulieris prolem pertinere conveniat. Sancimus igitur, ut si quis ejusmodi fiat et diversorum dominorum adscripticii inter se coeant, quandoquidem condicio eorum in controversia posita non est, cum venter non sit liber, nati quidem adscripticii sint, nec tamen rem omnem dabimus neque domino ejus; sed si quidem unus natus sit filius, venter semini praefertur sitque quod natum est domini matris, sin autem duo forte sint liberi, ambo dividantur electione per sortem facta, si vero impar sit numerus liberorum, id quod redundat sinus matris retineat, ut si tres sint, duo quidem sint matris unus vero patris, et rursus si quinque, tres ex natis domini matris et duo patris. Ac secundum hanc incrementi rationem numerus procedat, ut quod aequaliter dividi potest ex aequo tribuat, quod autem superat, quod quidem etiam gratius est, id matri tribuat. Hanc enim majore studio dignari oportet, quae et parturierit et pepererit et nutrierit, quam eum qui subsicivum voluptatis opus filii procreationem effecit.

<sup>2)</sup> L. 13. C. J. XI. 48. Definimus, ut inter inquilinos colonosve, quorum quantum ad originem pertinet vindicandam indiscreta eademque paene videtur esse condicio, licet sit discrimen in nomine, suscepti liberi, vel utroque vel neutro parente censito, statum paternae condicionis agnoscant.

<sup>3)</sup> L. 1. § 1. C. J. XI. 69. Sin autem adscripticius vel servus alienus colonam vel ancillam dominicam ducat uxorem vel adscripticia vel ancilla colono vel servo nubat dominico et ex hujusmodi conjunctionibus nati sunt liberi, legum veterum jus tenere sancimus.

4. Eodem fere tempore quo coloni etiam multi alii ordines in perpetuum condicioni suae adstricti sunt. Itaque et in hujusmodi matrimoniis promiscuis de condicionem liberorum dijudicandum erat <sup>1)</sup>. De qua re autem nonnisi paucae leges certiores nos faciunt; quin multo plures extiterint vix est dubitandum. Scimus Arcadium et Honorium constituisse ut liberi ex collegiato et colono sive inquilino nati inter illius civitatem et hujus dominum dividerentur <sup>2)</sup>. Quomodo in singulis rebus talis divisio fieret additum non est. Si filia conchylioleguli nupta erat colono, eorum liberi saltem post legem Theodosii et Valentiniani, qui de hac re egit (a. 427), statum maternum, ante hoc tempus autem paternum acquirebant <sup>3)</sup>. Si originarius filiam curialis uxorem duxit, collegiis deputetur <sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. Seeck. Geschichte des Untergangs der antiken Welt, II. p. 325. An manche Stände, namentlich den Decurionat und den Colonat, wurde man durch die mütterliche Abstammung gebunden; nur ergaben sich hieraus Schwierigkeiten, wenn ein Paar sich vereinigte, dessen Familien verschiedenen Körperschaften „dienstbar“ (obnoxius) waren, wie der technische Ausdruck lautete. Den Conflict der Pflichten, der daraus für die Nachkommen entstand, beseitigte die Gesetzgebung in sehr complizierter und höchst mannigfaltiger Weise; aber ein Grundsatz wurde immer dabei festgehalten: man begünstigte denjenigen Stand, der am meisten zusammenzuschwinden drohte, weil er seine Angehörigen am härtesten quälte.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. XII. 19. Destitutae ministeriis civitates splendorem, quo pridem nituerant, amiserunt, plurimi si quidem collegiati cultum urbium deserentes, agrestem vitam secuti, in secreta sese et devia contulerunt. Sed talia ingenia hujusmodi auctoritate destruimus, ut, ubicumque terrarum reperti fuerint, ad officia sua sine ullius nisu exceptionis revocentur. De eorum vero filiis, qui tamen intra hos proxime quadraginta annos docebantur fuisse suscepti, haec forma servabitur, ut inter civitatem et eos, quorum inquilinas vel colonas vel ancillas duxerint, dividantur; ita ut in ulteriorem gradum missa successio nullam calumniam perhorrescat.

<sup>3)</sup> L. 17. C. Th. X. 20. Placet, si conchyliolegulorum filiae condicionis alienae nupserint viris, qui ex ipsis fuerint procreati, ab eo tempore nexum maternae adscriptionis agnoscant, ex quo promulgatam super hoc cognoverint legem. De his vero, quos ante eam natos esse constiterit, hujusmodi forma servetur, ut, sive conchyliolegulorum seu adscriptorum progenies fuerit colonorum, paternam tantum condicionem sequantur. Si qui vero post legem aut patre conchyliolegulo geniti probabuntur aut matre, memoratae adscriptioni obnoxios se esse non ambigant.

<sup>4)</sup> Nov. Maj. VII. § 5. Similiter si servo suo actori procuratorique ullus filiam junxerit curialis, aut certe junctam esse permiserit, et non intra



5. De condicione liberorum ex colonabus et servis vel ex colonis et ancillis natorum nihil nobis est traditum. Qui autem ex adscripticiis mulieribus et servis vel adscripticiis et ancillis nati erant, eos scimus condicionem maternam secutos esse, saltem post annum 530 <sup>1)</sup>).

6. Qui e matrimonio, quod contraxit originaria cum homine libero vel ingenuo, erant nati, statum maternum sequebantur, erant igitur ejus domini et ab hoc undecumque reposci poterant <sup>2)</sup>). Quid factum sit de eis qui ex originario et muliere libera erant nati, nusquam comperimus. Veri autem simillimum videtur de eis easdem varias regulas valuisse ac de adscripticiis (vide infra) quibuscum in constitutione Justiniani de adscripticiis et colonis uno tenore commemorantur. (Cf. etiam p. 26.)

Quod autem attinet ad adscripticiorum matrimonia, saepe renuntiatur eos, qui ex adscripticia et viro libero essent nati, adscripticios esse <sup>3)</sup>, et apparet hoc semper valuisse. Varias

---

praescripti temporis terminum natalibus suis urbiue reddiderit, illa quidem curiae restituenda revocetur . . . ; ille vero, si originarius erit, qui sibi frustra ac temere mariti nomen contra interdictum legis indiderit, collegiis nihilominus deputetur, si famulus, servilibus poenis peribit.

<sup>1)</sup> L. 21. § 1. C. J. XI. 48. Si quis autem vel ex servo et adscripticia, vel ancilla et adscripticio fuerit editus, matris suae ventrem sequatur et talis sit condicionis, qualis et genetrix fuit, sive ancilla sive adscripticia: quod hactenus in liberis tantum et in servis observabatur.

<sup>2)</sup> L. 1. § 4. C. Th. V. 10. Quod si non ad alienum praedium, sed cujuscumque liberi hominis ac sui juris secuta consortium, in urbibus vel in quibuscumque locis victura consistit (sc. originaria), si modo intra praefinitum tempus (i. e. XX annos) reposcitur, ejus omnem originem secundum vetera constituta conveniet revocari. — L. 4. C. J. XI. 68. Ex ingenuo et colonis ancillisque nostris natos natasve origini, ex qua matres eorum sunt, facies deputari.

<sup>3)</sup> L. 21, C. J. XI. 48. Ne diutius dubitetur, si quis ex adscripticia et libero vel ex adscripticia et servo vel adscripticio et ancilla fuisset editus, cujus status sit, vel quae peior fortuna sit, utrumne adscripticia an servilis, sancimus ea quidem, quae in anterioribus legibus cauta sunt pro tali progenie, quae ex mulieribus adscripticiis et viris liberis progenita sit, in suo statu relinqui, et sit adscripticia proles ex tali copulatione procreata. — In editione Kruegeriana verba, quae literis cursivis scripsi, desunt; extant tantum in paucis codicibus, sed omnino necessaria sunt, quoniam hisce expunctis lex aptum censum non praebet. — L. 24. C. J. XI. 48. . . . illo procul dubio obser-

autem fuerunt constitutiones circa liberos adscripticii ac mulieris liberae. Antea mos fuerat tales adscripticios esse <sup>1)</sup>). Justinianus vero statuit ut ex hujusmodi conubio nati matrem sequerentur et perinde ac ea liberi essent, sed cum hujus beneficii timeret abusum ne adscripticii conarentur matrimonia contrahere aut simulare eam tantum ob causam ut posteros suos liberos redderent, addidit domino potestatem esse, sive per se sive auxilio invocato provinciae praesidis, virum ab uxore abstrahendi; quod si neglexisset in ejus damnum id reverteretur <sup>2)</sup>). Postea idem imperator eo progressus est ut hujusmodi matrimonia prorsus interdiceret, sive invito seu conscio domino contracta; quae si tamen contraherentur, legitima non essent et maritus modica poena adhibita ab uxore amoveri posset <sup>3)</sup>). Apparet autem ex plurimis constitutionibus, quae

---

vando, ut, si ex libero marito et adscripticia uxore partus fuerit editus, is maternae condicionis maculam, non paternam sequatur libertatem. — Nov. Just. LVI. Cap. 1. Nam si liberi aliqui se adscripticiis jungant, secundum rationes in constitutione comprehensas, infantes matrem sequuntur, unde ad libertatem non perveniunt. — Nov. Just. CLXII. Cap. 2. . . . . sed si quidem omnino nati fuerint quidam in aliquo praedio si quidem ex adscripticia matre, manifestum est eos omnino inscripticios fore.

<sup>1)</sup> Constitutio Justiniani de filiis liberarum . . . . . lex . . . . . constituens creatos ex libera matre et adscripticio marito liberos esse. Quod contrarium est legibus antiquis, cum illae manifeste decreverunt talem subolem adscripticiam esse. — Nov. Just. CLXII. Cap. 2. . . . . tametsi adscripticii non facti sint secundum jus antiquum . . . . .

<sup>2)</sup> L. 24. C. J. XI. 48. Si qui adscripticiae condicionis constituti mulieres liberas quacumque mente aut quacumque machinatione sive scientibus dominis sive ignorantibus sibi uxores conjunxerunt, vel postea conjunxerint, in sua libertate permanere tam eas quam prolem quae ex eis cognoscitur procreata sancimus . . . . . Sed ne adscripticii putent sibi impunitum esse tale conamen, quod maxime verendum est, ne liberarum mulierum nuptiis ab his excogitatis paulatim hujusmodi hominum condicio decreseat, sancimus, si quid tale fuerit ab adscripticio perpetratum, liberam habere potestatem dominum ejus sive per se sive per praesidem provinciae talem hominem castigatione moderata corrigere et abstrahere a tali muliere. Quod si neglexerit, sciat in suum damnum hujusmodi desidia reversuram.

<sup>3)</sup> Nov. Just. XXII. Cap. 17. Adscripticio autem alieno nubere liberam non licet neque ignorante neque sciente neque consentiente possessore, sed licet aliquid tale ab adscripticio geratur, licebit domino ipsi per se et per provinciae judicem castigare plagis mediocribus haec agentem adscripticium, et abstrahere ab ea quae frustra ei conjuncta est. Unde

condicionem liberorum ex hujusmodi matrimoniis susceptorum moderantur, hoc interdictum nequaquam severe servatum esse. In postera lege Justinianus propositum suum accuratius enucleavit; enuntiavit enim illam beneficam legem de libertate eorum, qui ex matre libera et adscripticio suscepti essent, minime in praeteritum quoque valere; quicumque nati essent ante hanc legem (L. 24. C. J. XI. 48) promulgatam, statuto antiquae constitutionis obnoxii manerent<sup>1)</sup>; ex quo etiam apparet illam innovationem fuisse Justiniani.

Postea autem ipse illam libertatem denuo magnopere coercuit; quandoquidem etiam liberi colonorum praedio ligati manebant, ferri non potuit eos, qui ex adscripticio nati essent, prorsus liberos fieri. Idcirco statuit ut qui ex libera matre et adscripticio suscepti essent, liberi quidem manerent, aequae ac mater, et peculium suum servarent — quod ut infra videbimus minime valebat de adscripticiis — nihilo secius eis non liceret

---

neque nuptiae sunt quod factum est, nec oblatio dotis nec antenuptialis donationis, sed pura facti mali correctio. Sic itaque matrimonia dissolvuntur viventibus adhuc his, qui ea contraxerunt et pecuniariae poenae circa dotem et sponsalitiā paene consistunt donationem.

<sup>1)</sup> Nov. Just. LIV. Praef. In quadam nostrarum constitutionum nihil obscuritatis habente motae sunt quaestiones ab aliquibus ex studio et ad suam intentionem obscuritatem ei introducentibus. Cum enim libertatis amatores simus, nuper posuimus legem, ut non secundum antiquitatem, si ex adscripticia et libera persona processerit suboles, omnino eam sequi adscripticiam fortunam, sed secundum servilis fortunae observationem, sic etiam super adscripticiis putari, et secundum ventris statum etiam ejus qui nascitur considerari fortunam. Ex libera namque matre procedere servilem partum nostra benefaciens noluit lex; quoniam diximus in lege, si quidam conjuncti sunt mulieribus sive etiam conjuncti fuerint, et filii procreantur, ita legem in his qui procreantur valere. Quidam autem sic fatue aut callide interpretari nisi sunt legem, ut etiam si ante constitutionem nati sunt aliqui, vel si valde sint senes, putent eos liberari tamquam enim modo natos et non longe praecedentes legem; cum utique nos hunc habuerimus intellectum, ut si cohaerent jam quidam uxoribus et post legem filii procreati essent, aut non cohaerent quidem, postea vero nuptiae fierent, post legem nati haberent ex lege datam libertatem. Cap. I. Ne igitur liceat artibus uti et malignari et possessionum nocere dominis talibus interpretationibus, propterea sancimus omnes qui nati sunt a tempore legis, hos solutos esse adscripticia fortuna, si ex liberis nascentur matribus, omne praeteritum antiquae servandum legi.

praedium quod colerent relinquere; id est: statuit ut posthac hujusmodi liberi coloni ordinarii fierent <sup>1)</sup>).

Et postea demum etiam porro processit, crebris querimoniis possessorum de damnis quibus praedia afficiebantur commotus, ac denuo priorem illam ordinationem instituit, scilicet ut liberi adscripticiorum et colonorum semper fortunam patris sequerentur; multam X librarum auri ei minabatur qui hanc legem iterum constitutam violaret aut violari sineret <sup>2)</sup>. Fieri tamen potest ut lex in qua haec jubentur ad Illyricum tantum pertinuerit,

---

<sup>1)</sup> Nov. Just. CLXII. Cap. 2. Praeterea de secundo capite a sublimitate tua interrogati sumus, num post constitutionem nostram quae si qui ex libera et adscripticio nascantur eos liberos esse vult propter matris conditionem existimandum sit, tametsi adscripticii non sint facti secundum jus antiquum, tamen utique colonos eos fieri propterea quod altera constitutio nostra filiis quoque colonorum non permittat terram relinquere, sed manere colonos jubeat; idque multo magis ita esse oportere quandoquidem omnino inter has personas adscripticiorum sit progenies. Haec igitur interrogatione tua in praedicto capite continebantur. Atqui mentem nostram considerantes nosse oportet numquam nos permittere, ut liber venter adscripticium pariat, sed hanc quidem notam et signum nato post legem tunc latam esse imponendum, ut omnino libertas conveniat iis qui ex libera matre nascantur. Si quis igitur ex libera et adscripticio natus sit, manet is quidem liber et maternam ingenuitatem nullo modo abicit; ostendit autem constitutio a nobis proposita se tales homines velle incolas praediorum cultoresque agrorum manere, utpote ibi genitos: hoc enim sibi vult coloni appellatio. Itaque non concedimus iis facultatem praedium relinquendi et ad alia se vertendi; sed si qui omnino in praedio aliquo nati sint, si quidem ex adscripticia matre, manifestum est utique eos adscripticios futuros esse, sin ex libera matre, manebunt quidem liberi et quae ab his acquisita sunt penes ipsos erunt neque peculium fiet dominorum, nec tamen ex praedio egredientur, sed hoc colent, neque licebit iis hoc relinquere atque alia obire aliena, nisi forte domini facti sint propriae alicujus possessionis, quae sufficiat ad eos in ipsa occupandos neque alia quoque etiam colere permittat, atque in illam transmigrarint. Alioqui omnibus modis ut maneant in praedio sancimus, liberi quidem constituti, incolatu autem detenti. Atque hoc quidem ita constitutum esto.

<sup>2)</sup> Constitutio Justiniani de adscripticiis et colonis. Praef. Adierunt nostram serenitatem Lugdunensium habitatores et hoc nos docuerunt: quia ante proposuimus legem, per quam jussimus adscripticios vel colonos committentes se liberis mulieribus procreare filios ad similitudinem liberorum, et ex hoc detrimentari fundos et eorum functiones, recedentibus agricolis velut ex utero libero precedentibus. Cap. 1. Et hoc corrigentes sancimus secundum veterem legem de adscripticiis et colonis constitutis agricolis quod

ad cuius praefectum est directa. Certe Justinus denuo statuit ut in Africa liberi ex adscripticio et libera muliere suscepti liberi quidem essent et dominium haberent, sed manerent in condicione colonorum atque ergo solo adstricti <sup>1)</sup>. Et ad novas querimonias antistitis Carthaginensis et possessorum Africanorum Tiberius Augustus rursus hanc Justiniani ordinationem confirmavit <sup>2)</sup>.

---

nascitur adscripticium et colonum fieri. Sed si sola fuerit mulier libera constituta cum procreaverit filios, tunc ergo nullo modo patimur laedi ex hoc penitus liberum uterum, utque talis mulier tali viro sociata fuerit neque adscripticio neque colono; in hoc tantum modo casu obtinente lege. Sancimus ergo generalem legem, ut qui ex adscripticio et colono natus est, patris naturam sequatur. Sic ergo et indemnitas fisci collatoribus erit P. C. Hoc ergo medentes praesentem dispositionem disposuimus, quam observare tuam celsitudinem sancimus in omnibus Illyricanis partibus, et non exinde deminutio aliqua dominis inferatur. Tua igitur gloria quae nobis visa sunt et per hanc legem divinam significantur effectui mancipare festinet, multa imminente decem librarum auri qui eam violaverit aut concesserit violandam.

<sup>1)</sup> Constitutio Justiniani de filiis liberarum, in Africam directa. Die noctuque pro utilitate reipublicae subtiliter cogitantes, illa properamus renovare, quanta in locis opportunis sunt necessaria, et maxime pro tributis atque redditibus, sine quibus impossibile est aliquid agere prosperum. Suggestit autem tua magnitudo, maximam partem possessorum Africanarum provinciarum precibus suis intimare desolatos agros remansisse, cum divina lex promulgata fuisset, constituens creatos ex libera matre et adscripticio marito liberos esse. Quod contrarium est legibus antiquis, cum illae manifestae decreverunt, talem subolem adscripticiam esse; ex hac enim licentia filii adscripticiorum praedia, in quibus nati sunt, dimittentes, et in aliis habitantes locis, tam fiscum quam dominos praediorum minuere, et haec dicentes supplicaverunt corrigere hoc capitulum apud illam provinciam, sicut et pater noster praedictae legis lator in Illyricanam provinciam fecit, constituens filios, qui nascuntur ex libera matre atque adscripticio patre, liberos esse cum suis rebus, sed tamen colonos, ut non liceat terrulas ubi nati sunt relinquere et alienas colere. His igitur nostrae serenitati suggestionem tuam relatis, necessarium esse perspeximus possessores subjectos nostros atque functiones publicas adjuvare. Unde sancimus in Africana provincia filios ex libera matre et adscripticio patre productos liberos quidem esse, et res proprias habere, in ordine tamen colonorum esse, et non posse eos dimittere praedia in quibus nati sunt et excolere aliena, sed vicos ipsos in quibus orti sunt cum libertate colere; sic etenim nec fiscus nec possessor laeditur, neque praedicti minuuntur, terras ubi nati sunt, excolentes, Theodore parens carissime atque amatissime.

<sup>2)</sup> Sacrum Pragmaticum Tiberii Augusti de confirmatione constitutionum Justiniani imperatoris de filiis colonorum (lege: adscripticiorum) et liberarum.

Tam ex creberrimis legibus de fugitivis quam ex hisce constitutionibus saepe iteratis luculenter apparet cum quantum operam coloni et adscripticii dederint ut sive ipsi liberi fierent sive liberi ejus, tum quanti reipublicae atque possessorum interfuerit eorum adhaerentiam tueri.

NUM QUO ALIO MODO PRAETERQUAM PER ORIGINEM ALIQUIS COLONATUI OBNOXIUS FIERI POTUERIT. Longe major pars colonorum colonatus juri obnoxia erat ipsa origine; tamen etiam aliis modis hoc fieri poterat.

1. *Usu*. Qui agricolae per triginta annos continuos in praedio quodam tamquam coloni vixerunt, coloni fiunt i.e. libertatem suam servant ac peculium, sed terram relinquere iis non amplius licet <sup>1)</sup>. Postea Justinianus statuit ut eorum liberi quoque in

---

Consuetum et peculiare nostrae mansuetudinis remedium necessitatibus subjectorum nostrorum imponere cupientes, suggestionem viri beatissimi Publani, antestitis Carthageniensium civitatis et possessorum ejusdem Africanae proconsularis provinciae libenter suscepimus, per quas pragmaticam sanctionem Justini divae memoriae patris nostri pro condicione subolis ab adscripticio patre et ingenua matre ad Theodorum tunc praefecturam tuam agentem ante tempus emissam firmam inlibatamque nostris etiam adfatibus constitui supplicaverunt, ut cultura terrarum permaneat, nulla lege vel machinatione et ab ea separari valitura. Consulentes igitur conlatoribus Africanis tractus, sancimus eandem pragmaticam sanctionem et ejus dispositionem omnibus modis ex quo data est, suas vires habere et incertam ei auctoritatem universis dominis terrarum opitulari, ut liberi procreati a matre ingenua et patre adscripticio vel colono rusticitatem paternam cognoscant et operibus suis consuetos redditus his, quibus suppositi sunt, subministrent, deterioris quidem condicionis alieni, ipsius autem cespitis, ubi nati sunt recedere et in aliis quibuscumque locis degere non permissuri, Theodore parens carissime atque amantissime. Illustris igitur et magnifica auctoritas tua hanc pragmaticam sanctionem in aeternum valituram edictis propositis omnibus habitatoribus Africanarum partium innotescat ut omnibus pateat qualem pro utilitate eorum providentiam gerimus.

<sup>1)</sup> L 19. C. J. XI. 48. Τῶν γεωργῶν οἱ μὲν ἐναπόγραφοὶ εἰσιν καὶ τὰ τούτων πεκοῦλια τοῖς δεσπόταις ἀνήκει, οἱ δὲ χρόνῳ τῆς τριακονταετίας μισθῶτοί γίνονται ἐλεύθερα μένοντες μετὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν. καὶ οὗτοι δὲ ἀναγκάζονται καὶ τὴν γῆν γεωργεῖν καὶ τὸ τέλος παρέχειν. τοῦτο δὲ καὶ τῷ δεσπότη καὶ τοῖς γεωργοῖς λυσαιτέλις. (Agricolarum alii adscripticii sunt, quorum peculia ad dominos pertinent, alii triginta annorum tempore coloni fiunt, liberi tamen cum rebus suis manent: atenim hi quoque et terram colere et tributum solvere coguntur, hoc autem tam domino quam agricolis expedit.

statu paterno remanerent, etiamsi non ipsi per XXX annos in praedio degissent <sup>1)</sup>).

2. *Quum quis sponte jugum colonatus indueret.* Quo facilius obsequia condicionis suae detrectarent multi curiales conabantur coloni fieri, praecipue ut colonorum patrimonialium privilegiis potirentur. Quod ut prohiberent placuit Constantio et Constanti ut is, qui, quum ipse XXV jugera possideret, etiam plura rei privatae conducta haberet, vel is qui quum minus quam XXV jugera possideret, praeterea particulam agri patrimonialis colendam haberet, omni excusatione summota, curiae redderetur; in utraque re videlicet talis conductio agri fiscalis propter nullam aliam causam credebatur accepta esse quam ut legi fraus fieret, nempe ut condicione curiali liberarentur <sup>2)</sup>. Diligentius eam rem tractavit Majorianus, qui statuit ut curiales fugitivi, dummodo intra XXX annos reperti essent, remitterentur ad urbes quas reliquissent, atque id cum uxoribus, quae igitur dominis suis perierunt. Ex liberis filii,

<sup>1)</sup> L. 23. § 1. C. J. XI. 48. Cum autem Anastasiana lex homines qui per triginta annos colonaria detenti sunt condicione voluit liberos quidem permanere, non autem habere facultatem terra derelicta in alia loca migrare, et ex hoc quaerebatur, si etiam liberi eorum cujuscumque sexus, licet non triginta annos fecerint in fundis vel vicis, deberent colonariae esse condicionis tantummodo genitor eorum, qui per triginta annos hujusmodi condicione illatus est: sancimus liberos colonorum esse quidem in perpetuum secundum praefatam legem liberos et nulla deteriore condicione praegravari, non autem habere licentiam relicto suo rure in aliud migrare, sed semper terrae inhaereant, quam semel colendam patres eorum susceperunt.

<sup>2)</sup> L. 33. C.Th. XII. 1. Quoniam sublimitas tua suggestit multos declinantes obsequia machinari, ut privilegia rei privatae nostrae colonatus jure sectantes curialium nominationes declinent, sancimus, ut, quicumque ultra viginti quinque jugera privato domini possidens amplioem ex re privata nostra jugerationis modum cultura et sollicitudine propria gubernaverit, omni privilegiorum vel originis vel cujuslibet excusationis alterius frustratione summota, curiali consortio vindicetur. Illo etiam curiae similiter deputando, qui minus quidem quam viginti quinque jugerorum proprietatem habeat, ex rebus vero nostris vel parvum vel minorem jugerationis modum studio cultionis exercet. Ita ut, omni fraude summota, si qui venditione simulata praescriptas lege minuat facultates, omne, quod simulata venditione ad alium transtulit, fisci nostri viribus vindicetur. Quam poenam illi etiam sustinebunt, qui captiosa supplicatione delata speciale rescriptum in fraudem sanctionis extorserint.

quatenus saltem ex colonabus neque ex ancillis nati essent, patrem sequerentur, filiae autem in praedio remanerent<sup>1)</sup>. Contra tamen Leo et Severus rursus imperaverunt ut omnes liberi apud dominum remanerent, praeter eorum parentum qui jam ante hanc constitutionem matrimonium contraxissent<sup>2)</sup>. In eadem lege etiam egerunt de liberis ex collegiatis et colonis natis quorum antiqua ordinatio supra jam tractata est<sup>3)</sup>.

Eis qui sponte colonatui se subicere voluerunt, quoniam tale quid plerumque moliebantur ut a gravioribus oneribus liberatio fieret, Justinianus molestiam exhibuit cum statueret

---

<sup>1)</sup> Nov. Maj. VII. 1. §§ 1. et 2. Curiales nervos esse reipublicae ac viscera civitatum, nullus ignorat. Quorum coetum recte appellavit antiquitas minorem senatum, huc redegit iniquitas iudicum exactorumque plectenda venalitas ut multi patrias deserentes, natalium splendore neglecto, occultas latebras et habitationem elegerint juris alieni, illud quoque sibi dedecoris addentes, ut, dum uti volunt patrociniis potentum (codd: impotentum), colonarum se ancillarumque conjunctione polluerint. Itaque factum est, ut urbibus ordines deperirent et prope libertatis suae statum nonnulli per contagionem consortii deterioris amitterent. § 1. Quod ne ulterius possit licere, saluberrima lege sancimus, praeteritae praesumptionis supplicium relaxantes, ut praeter illos, qui patrias suas aliqua munerum collatione juverunt, ac propterea nulla ordinibus praesumptione depereunt, ubicumque intra triginta abhinc retro annos inventi fuerint curiales, constrictis procuratoribus vel conductoribus praediorum, dominisque conventis ad urbes, quas deseruerant cum uxoribus reducantur (quod ingratum esse agrorum dominis non oportet, cum debuerint poena severiore percelli), amittant mulieres, quas illicitis consortiis junctas esse noverunt. § 2. A quo constituto nec domum nostrae serenitatis excipimus, quorum progeniem ita dividendam esse censemus, ut quotquot fuerint masculini sexus filii, patrem sequantur, feminis praedii domino relinquendis; illa discretionem servata, ut, si ex colonabus nati sint, curiae inserantur, si ex ancillis editi, collegiis deputentur, ne materni sanguinis vilitate splendor ordinis polluat.

<sup>2)</sup> Nov. Sev. II. Cum per virum illustrem Ausonium cunctorum ad nos provincialium querela pervenit, eo, quod . . . . aliaque corpora publicis obsequiis deputata quorundam se colonis vel famulis ignorantibus dominis sociassent, et nunc sub specie publicae corporationis procreatos liberos conantur iugo servitutis absolvere, idcirco agnoscat sublimis magnificentia tua, divali nos in aeternum lege sanxisse, si qui vel qua ex corporibus publicis vel ex corporatis urbis Romae servis vel colonis se crediderint copulandos, agnationem eorum ad eos dominos pertinere, quorum iniquitas vel colonus fuisse constitit, exceptis iis, qui ante eam legem non taliter latam sese junxisse noscuntur.

<sup>3)</sup> Pag. 17. et L. 1. C. Th. XII. 19.



ut ei qui condicionem suam adscripticiam ostendere vellet, neque sola confessio neque ulla scriptura, qualis est ch<sup>ar</sup>tula conductionalis, per se sufficeret, sed talibus alia documenta auxilio esse deberent, quorum erat publici census adscriptio <sup>1)</sup>); quo postulato scilicet etiam impediabatur quominus obsequium per vim efflagitaretur.

3. *Deditione poenali.* Mendici quos juvenes adhuc atque validos esse compertum erat, siquidem ingenui erant, tamquam coloni iis adjudicabantur qui eos detulerant, ea autem conditione, ut, si appareret eos fugitivos esse, antiquo domino jus integrum maneret eos deprecendi <sup>2)</sup>).

4. *Conubiis quibusdam.* Nonnunquam accidit ut advenae egeni quos misericordia commotus aliquis susceperat, apud eum uxorem ducerent quam autem desererent quum satiati essent;

---

<sup>1)</sup> L. 22. §§ 1, 2. C. J. XI. 48. Cum scimus nostro jure nullum praep<sup>re</sup>judicium generari cuidam circa condicionem neque ex confessionibus neque ex scriptura, nisi etiam ex aliis argumentis aliquid accesserit incrementum, sancimus solam conductionem vel aliam quamcumque scripturam ad hoc minime sufficere nec adscripticiam condicionem inferre, sed debere hujusmodi scripturae aliquid advenire adjutorium, quatenus vel ex publici census adscriptione vel ex aliis legitimis modis talis scriptura adjuvetur. § 1. Melius enim est in hujusmodi difficultatibus ex pluribus capitulis condiciones ostendi et non solis confessionibus neque scripturis homines forte liberos ad deteriorem detrahi fortunam. § 2. Sin autem et scriptura et post scripturam confessio seu depositio, sine vi et necessitate tamen, intervenerit (quid enim, si etiam conductionale instrumentum vel aliam chartulam, in qua subscripsit, intimavit et interacta deposuit sese colonum fuisse adscripticum?), tunc ex utroque genere obligationis, id est tam scripturae quam confessionis vel depositionis, talem eum esse credendum, qualem et scripsit et inter acta deposuit.

<sup>2)</sup> L. 1. C. J. XI. 28. Cunctis adfatim, quos in publicum quaestum incerta mendicitas vocabit, inspectis exploretur in singulis et integritas corporum et robur annorum, atque inertibus et absque ulla debilitate miserandis necessitas inferatur, ut eorum quidem, quos tenet condicio servilis, proditor studiosus et diligens dominum consequatur, eorum vero, quos natalium sola libertas prosequatur, colonatu perpetuo fulciatur, quisquis hujusmodi lenitudinem prodiderit ac probaverit; salva dominis actione in eos, qui vel latebram forte fugitivis vel mendicitatis subeundae consilium praestiterunt. — Conferri potest illa „Blutgesetzgebung wider Vagabondage“ in Britannia fine saec. XVI. et saec. XVII. Primo anno regni Eduardi VI (1547) statutum quoddam jubet, si quis reusat quominus laboret, ei tamquam servum tribui, qui eum vagabundum detulerit. K. Marx. Das Kapital. I. p. 700, sqq.

quamobrem placuit Valentiniano ut, si hujusmodi peregrinus incolam mulierem in matrimonium ducere vellet, ante profiteretur se neque uxorem neque praedium relicturum esse. Item mulieribus ingenuis, quum colonis nupsissent, non jam a praedio discedere licuit; eorum liberos in perpetuum colonos esse placuit <sup>1)</sup>.

5. *Cum gentes subjectae in solo Romano collocarentur.* Cum Theodosius Scyras, gentem Hunnorum, subegisset, eos anno 409 possessoribus totius imperii tamquam colonos obtulit, — dummodo ne in Thracia et Illyrico collocarentur ubi per vicinitatem gentium affinium periculosi fieri possent — ita ut jure colonatus apud eos morarentur <sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Nov. Val. XXX. §§ 5, 6. Advenae plerumque tenues abjectaeque fortunae quorundam se obsequiis jungunt, ut, similata laboris et obsequiorum patientia, accepto sumptu ac vestitu illuviem et squalorem egestatis evadant. Ubi de angustiis cladis suae et humanitate et miseratione colligentes fuerint liberati, jam repleti, jam nihil de miseria cogitantes eligunt feminas ad patrem familias pertinentes, solertia, forma, utilitate meliores: cum satias ceperit, derelinquunt: non statu priore perpenso, non assuetudine conjunctionis, non dulcedine filiorum, nulla lege prohibente discedunt. Itaque si nulli quolibet modo obnoxius civitati ad praedium se cujuscumque rusticum urbanumque collegerit, et mulieri obnoxiae sociari voluerit, gestis municipilibus profiteatur habitandi, ubi elegerit voluntatem, ut hoc vinculo praecedente nec habitaculum, quod placuit, deserat, nec consortium mulieris abruptat. Qua professione deprompta, salva ingenuitate, licentiam non habeat recedendi. Pari lege mulieres ingenuas jubeo detineri, a quibus conjunctio appetita est et electa servorum vel colonorum, ut his abire non liceat. Filii earum, si denuntiatio non praecessit, in eorum jure et dominio, apud quod creati sunt vel creantur, colonario nomine perseverent; post denuntiationem vero editos secundum scita divalia servos esse censemus, ut illos nexus, sicut dictum est, colonarius, teneat semper obnoxios, hos condicio servitutis, Firmine, parens carissime atque amantissime.

<sup>2)</sup> L. 3. C. Th. V. 4. Scyras, barbaram nationem, maximis Hunnorum, quibus se conjunxerunt, copiis fuis, imperio nostro subegimus. Ideoque damus omnibus copiam ex praedicta gente hominum agros proprios frequentandi, ita ut omnes sciant susceptos non alio jure quam colonatus apud se futuros; nullique licere ex hoc genere colonorum ab eo, cui semel attributi fuerint, vel fraude aliquem abducere vel fugientem suscipere, poena praeposita, quae recipientes alienis censibus adscriptos vel non proprios colonos insequitur. Opera autem eorum tertiarum domini libera utantur; ac nulli subacta peraequationi vel censui subjaceant, nullique liceat, velut donatos eos a jure census in servitute trahere urbanisve obsequiis addicere. Porro intra biennium suscipientibus liceat, pro rei frumentariae angustiis

QUOMODO QUIS A COLONATU LIBERARI POTUERIT.

Quamquam semel renuntiatum erat colonos „aeternitatis jure” solo natali vinctos esse debere <sup>1)</sup>, tamen, ut ex nonnullis constitutionibus traditis patet, fieri poterat ut condicio aliquo modo finiretur. Proprie manu mitti non possunt quippe qui solo sint adhaerentes et ne a dominis quidem ab eo separari possint; potest autem ille colonum una cum solo missum facere, quae ratio cum solita manumissione aequiparatur <sup>2)</sup>. Liberatio autem a colonatu hisce modis accidere poterat:

1. *Usu*. Honorius et Theodosius imperaverunt ut quicumque colonus per XXX annos a praedio afuisset neque per illud tempus esset repetitus, a nullo jam vindicari posset; colonabus diem statuerunt XX annorum <sup>3)</sup>. Primo hanc constitutionem confirmavit Valentinianus <sup>4)</sup>; postea autem eam immutavit ac

in quibuslibet provinciis transmarinis tantummodo eos retinere et postea in sedes perpetuas collocare, a partibus Thraciae vel Illyrici habitatione eorum penitus prohibenda et intra quinquennium dumtaxat intra ejusdem provinciae fines coram traductione, prout libuerit, concedenda, juniorum quoque intra praedictos viginti annos praebitione cessante. Ita ut per libellos sedem tuam adeuntibus his, qui voluerint, per transmarinas provincias eorum distributio fiat. — De singulis rebus hujus legis vide: Zumpt. Ueber die Entstehung und historische Entwicklung des Colonats. Rhein. Museum. III. (1845) p. 35 sqq.

<sup>1)</sup> L. 1. C. J. XI. 51.

<sup>2)</sup> L. 21. § 1. C. J. XI. 48. Quae etenim differentia inter servos et adscripticios intelletur, cum uterque in domini sui positus est potestate, et possit servum cum peculio manumittere et adscripticium cum terra suo dominio expellere?

<sup>3)</sup> L. 1. C. Th. V. 10. § 1. Si quis colonus originalis vel inquilinus ante hos triginta annos de possessione discessit, neque ad solum genitale silentii continuatione repetitus est, omnis ab ipso, vel a quo forte possidetur, calumnia penitus excludatur; quem annorum numerum futuris quoque temporibus volumus observari. § 3. In feminis sane observationem volumus esse diversam. Itaque mulierum, quae fuisse originariae docebuntur, si ante vicesimum annum de solo, cui debebantur abscesserint, universa repetitio cesset.

<sup>4)</sup> Nov. Val. XXVI. § 4. De originariis et colonis, inquilinis ac servis utriusque sexus, peculiis atque agnationibus designati juris, id est perpetui, patrimonialis, emphyteuticarii et reipublicae, post XXX annorum curricula nulla deinceps actio moveatur. Et negotium, de quo per expressa tempora sollenniter nemo pulsavit, novum nemo proponat. § 6. Intra haec sane tempora si coepta lis fuerit de originariis vel agnatione cespitis designati, hanc formam erga possidentes servari praecipimus, quae lege

statuit ut colonus fugitivus post XXX annos non quidem ab antiquo domino repeti posset, sed attribuendus esset ei, apud quem eos annos degisset; si apud diversos deinceps parem numerum annorum moratus esset, is eum acciperet, ad quem statim post fugam venisset; si plures domini eum per impar tempus possedissent, ejus esset, apud quem diutissime meruisset. Quod praeceptum etiam valeret de colonabus <sup>1)</sup>.

Quaerebatur num filius coloni, si patre vivo XXX aut plures annos in libertate degisset atque dominus coloni, quandoquidem per patrem ei satisfiebat, eum non repetivisset, patre defuncto domino periisset. Qua in re Justinianus decrevit ut, quoniam filius per patrem quasi per partem corporis in praedio remansisset atque ita re vera non in libertate vixisset, domino non necesse fuisset eum repetere uti eum vindicare posset — hujusmodi filiorum, quamvis XXX annos afuissent, tamen potestatem integram haberet <sup>2)</sup>.

---

divi parentis nostri Honorii de colonis utriusque sexus juris privati evidenti definitione conscripta est; scilicet ut a persona feminea viginti annorum, a virili triginta repetentem praescriptio objecta summoveat. Quam et in illa parte observari convenit, quae statuta est de agnatione talium personarum.

<sup>1)</sup> Nov. Val. XXX. Praef. Cum pure et fideliter observari debeant, quae caventur in legibus, latam dudum de colonis originariis fucum pati quorundam maligna mente cognovimus. Nam cum is, a quo decessit, obnoxius, triginta annorum repellatur objectu, eundo per hos atque alios designatum tempus assumit; ita contingit, ut, cum illi pereat a quo fugit, nec huic, ad quem venit, possit acquiri, mansionum permutatione desinat esse, quod natus est, libertatem, quam nascendo non habuit, fugae sibi assiduitate defendens. Nulli unquam, nisi colono fugitivo, culpa sua praemium fuit; ea causa incipit melior effici, qua poenam meretur. § 1. Quod tamen sufficit hucusque licuisse. Nam cum prior dominus obice legis excluditur, illi eum jubemus acquiri, apud quem eosdem annos statuti temporis probatur implese. Quod si propter conclusionem tricennem et ad vim praescriptionis eludendam aequaliter habitat per diversos, is eum vindicet jure colonario serviturum, penes quem a die primae fugae XXX annorum posteriora tempora concluduntur, alias huic lucro cedat, cum quo maximam tricennii partem vagus et infidus habitator efficit. Quod etiam de mulieribus originariis aequae vagantibus praecipio custodiri.

<sup>2)</sup> L. 22. §§ 3, 4, 5. C. J. XI. 48. Illud quoque non ineleganter dubitabatur, si coloni filius per triginta annorum curricula vel forsitan quadraginta seu ampliora, adhuc vivente patre et agriculturam peragente, ipse in libera conversatione morabatur, et dominus terrae, quia per patrem ei satis-

2. *Dignitate episcopali*. Ordinatio episcopalis liberat a conditione adscripticia <sup>1)</sup>, quod quin etiam de colonatu valuerit vix dubium esse potest. Hoc autem prorsus unicum est munus quo talis liberatio fieret. Quin immo Valentinianus primum colonos omnino vetuerat clericos fieri <sup>2)</sup>; postea autem diacono hanc potestatem fecit, dummodo vicarius daretur qui ejus opus in praedio perficeret; quodsi huic copia deesset vicarii dandi, ad antiquam condicionem reduci debebat, nisi forte jam XXX annos novo officio perfunctus esset <sup>3)</sup>. Adscripticiis olim permisum erat ut clerici fierent nonnisi arbitrato dominorum, dum capitacionem per dominos tolerarent et vicarium darent qui ruralibus muneribus fungeretur <sup>4)</sup>; ea igitur conditione ut neque respu-

---

fiebat, non etiam ejus praesentiam exigebat, an post obitum patris, vel postquam inutilis forte existat et ruri non idoneus, potest excusari filius, longinqua libertate abutendo et quod per multos annos neque agrum coluit neque aliquid colonarii operis celebravit, cum non possit dominus incusari propter suam desidiā, cui per patrem ejus omne quod voluerat accedebat. In omnibus itaque hujusmodi speciebus satis acerbum nobis videtur domino praëjudicari colonorum absentia eorum, qui in rure nati et postea absentes per suos vel patres vel fratres vel cognatos agriculturam peragebant. Cum enim pars quodammodo corporis ejus per cognationem in fundo remanebat, non videtur neque peregrinari neque in libertate morari. Maneat itaque domino jus inconcussum, et donec ejus vel antiquitas vel posteritas vel cognatio in agrum remanet, ipse videatur ibi resedisse.

<sup>1)</sup> Nov. Just. CXXIII. cap. 4. Post ordinationem vero servili et inscripticia fortuna episcopos liberos esse praecipimus.

<sup>2)</sup> Nov. Val. XVIII. § 8. Ne quis vero de hac ipsa raritate colonorum clericatus vel militiae privilegio se existimet excusandum, superioris legis, quae hoc inhibet, formam praecipiet custodiri. — Nov. Val. XXXIV. § 3. Nullus originarius, inquilinus, servus vel colonus ad clericale munus accedat, neque monachis et monasteriis aggregetur, ut vinculum debitae conditionis evadat.

<sup>3)</sup> Nov. Val. XXXIV. § 6. Originarii sane vel servi, qui jugum natalium declinantes ad ecclesiasticum se ordinem transtulerunt, exceptis episcopis, ut dictum est, et presbyteris, ad dominorum jura redeant, si non in eodem officio annum tricesimum compleverunt; ita ut hujus conditionis diaconus domino pro se vicarium reddat, omni pariter peculio restituto. Circa quem nihilominus, si copia vicarii dandi non suppetat, quae de ministeriis urbium superius sunt statuta, serventur. (i. e. ad nexum proprium reducat.)

<sup>4)</sup> L. 16. C. J. I. 8. Quisquis censibus fuerit adnotatus, invito agri domino ab omni temperet clericatu, adeo ut etiam, si in eo vico, in quo noscitur mansitare, clericus fuerit, sub hac lege religiosum adsumat sacerdotium, ut et capitacionis sarcinam per ipsum dominum agnoscere compellatur et

blica (i. e. fiscus) neque domini tali ordinis commutatione ullum detrimentum caperent. Invitis dominis nulla ordinatio rata habebatur <sup>1)</sup>. Postea autem Justiniano placuit ut etiam invitis possessoribus clerici fieri possent in praediis quae habitarent; ea rursus condicione ut opera sua rustica per alios perficienda curarent <sup>2)</sup>. Quodsi ecclesia, uti solebat, plus quam unam possessionem complectebatur, in ea tantum parte clericum fieri licebat, ubi colonus ipse erat praedio adstrictus <sup>3)</sup>.

3. *Transitu ad aliam condicionem.* Quemadmodum curiales nonnunquam, ut obsequia condicionis detrectarent, in agros fugiebant (p. 25.), ita interdum coloni ad oppida confugiebant, ubi operam suam curiae vel collegio cuidam offerrent. Quodsi ibi, in ipsorum provincia per XXX, in alia XL annos, obnoxii fuerant neque a quoquam erant repetiti, ibi manebant neque jam actio colonatus sive inquilinatus accipiebatur <sup>4)</sup>.

---

ruralibus obsequiis quo maluerit subrogato fungatur, ea scilicet immunitate indulta, quae certae capitationis venerandis ecclesiis relaxatur: nullo contra hanc legem valituro rescripto.

<sup>1)</sup> L. 36. (37). C. J. I. 3. Jubemus adscripticiorum creationes secundum veterem constitutionem, nisi dominorum possessionum, unde oriundi sunt, evidens concurrerit consensus, nullius penitus esse momenti, sed isdem fundorum dominis, qui faciendae creationi non sicut dictum est evidenter consenserint, jus proprium ad similitudinem ceterorum colonorum in suos adscripticios exercendi, tamquam si nulla creatio intercessisset, tribui facultatem. Idemque hoc super illis quoque agricolis decernimus observari, qui cum essent adscripticiae nexibus condicionis conscripti, solitariam vitam videlicet appetentes quibuslibet sese monasteriis contra voluntatem dominorum fundorum duxerint offerendos.

<sup>2)</sup> Nov. Just. CXXIII. cap. 17.... Adscripticios autem in ipsis possessionibus quarum sunt inscripticii, clericos et praeter voluntatem dominorum fieri permittimus; ita tamen, ut clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant.

<sup>3)</sup> L. 11. C. J. I. 3. Ecclesiis, quae in possessionibus, ut adsolet, diversorum, vicis etiam vel quibuslibet locis sunt constitutae, clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo, ubi ecclesiam esse constiterit, ordinentur, ut propriae capitationis onus ac sarcinam recognoscant; ita ut pro magnitudine vel celebritate uniuscujusque vici ecclesiis certus iudicio episcopi clericorum numerus ordinetur.

<sup>4)</sup> L. 2. C. Th. XII. 19. Actiones publicas privatasque non eadem ratione concludimus, si quidem statui publico impensius providendum est. (Hoc spectat ad legem, quae antecedit, statuens ut curiales, magistratus rei publicae, *semper* repeti possint.) Eum igitur, qui curiae vel collegio vel burgis ceteris-

Si colona quaedam nupserat monetario neque mox dominus eam reposcerat, ei periiit et mariti condicioni obnoxia fiebat <sup>1)</sup>).

Veri simillimum est putandum etiam de hujusmodi conjunctionibus cum aliis ordinibus plurimas regulas extitisse; eae tamen, quas supra memoravi, solae nobis sunt traditae.

4. *Si quis militia sua tota perfunctus est atque dein veteranus est constitutus* <sup>2)</sup>).

QUIBUS REBUS COLONI CONVENIANT CUM SERVIS, QUIBUS AUTEM DIFFERANT. Supra condicionem colonorum, quod quidem ad ejus peculiare attinet, tractavi; fortasse inutile non erit, ut imaginem claram nobis informare possimus, inquirere quibus rebus a servili differat. Quin multis partibus coloni cum servis conveniant vix dubium est: in plurimis constitutionibus de utrisque simul atque eodem modo agitur <sup>3)</sup>. Coloni pariter ac servi verberibus castigantur; si aufugerunt vinculis subduntur <sup>4)</sup>; convicti sepulcri violationis ad tormenta ducuntur <sup>5)</sup>; coloni donatistae verberibus a falsis opinionibus retrahuntur <sup>6)</sup>. Haud raro liberis opponuntur: „mulier quae fuisse *originaria*

---

que corporibus intra eandem provinciam post triginta annos, in alia quadraginta sine interpellatione servierit, neque res dominica neque actio privata continget, si colonatus quis aut inquilinatus queestionem movere tentaverit. — Lex 3 statuit ut intra idem spatium temporis reducendi sint ad domicilium suum.

<sup>1)</sup> L. 10. § 1. C. Th. X. 20. Si qua verò originaria seu colona possessionis alienae, ignaro domino seu sciente, monetario associabitur, hi conventi mox juri agrorum debitas personas retrahere festinent, vel de cetero scient rependi facultatem silentii sui conventia perdidisse.

<sup>2)</sup> L. 4. § 1. C. J. XI. 63. Ceterum eos, qui castrensibus stipendiis otia quietam meruerunt veterani constituti, nequaquam placet tela in usum vomeris ligonisque convertere.

<sup>3)</sup> L. 1. C. Th. XII. 19; L. 54. § 8. XVI. 5; L. 6. § 9. C. J. I. 12; L. 8 et 11. III. 26; L. 1. VII. 38; L. 3. VIII. 51; L. 7 et 12. XI. 48; L. 3 et 4. XI. 68; L. 2. XII. 10; Nov. Val. XXII. § 3; XXX. § 6; Nov. Maj. VII. praef; Const. Justiniani. cap. 16.

<sup>4)</sup> L. 1. § 1. C. Th. V. 9: ferro ligari; L. 1. C. J. XI. 53: vinculis poenisque subdantur.

<sup>5)</sup> Nov. Val. XXII. § 3: duci ad tormenta conveniet.

<sup>6)</sup> L. 52. § 4. C. Th. XVI. 5. Servos etiam dominorum admonitio vel colonos verberum crebrior ictus a prava religione revocabit. — Praesertim de castigatione adscripticiorum saepe sermo est: L. 24. § 1. C. J. XI. 48: moderata castigatione corrigere; Nov. Just. XXII. cap. 17: castigare plagis mediocribus.

docebitur, si cujuscunque *liberi* hominis secuta consortium . . ." <sup>1)</sup>); „nam si qui *liberi* adscripticiis se conjungant . . ., si *vero* coloni . . ." <sup>2)</sup>); „si coloni profugi occultato eo quod alieni esse videntur, *quasi sui arbitrii ac liberi* apud aliquem se collocaverunt . . ." <sup>3)</sup>. Quin etiam colonatus semel vocatur „jugum servitutis" <sup>4)</sup>); atque colonus fugitivus dicitur assequi „libertatem quam nascendo non habuit, fugae assiduitate" <sup>5)</sup>.

Tamen etiam — et ex hac re imprimis apparet quasi duplicis condicionis eos fuisse — saepe liberi vocantur, modo quum servis opponuntur: „ipsos etiam colonos, qui fugam meditantur, in servilem condicionem ferro ligari conveniet, ut officia, quae *liberis* congruunt, merito *servilis* condemnationis compellantur implere" <sup>6)</sup>); saepius quum opponuntur adscripticiis; ut supra vidimus ii, qui ex libera muliere et adscripticio sunt nati, coloni ordinarii fiunt; tum dicuntur „*liberi* quidem constituti, incolatu autem detenti" <sup>7)</sup>); atque etiam magis perspicue de iisdem haec enuntiantur: „sancimus . . . filios ex libera matre et adscripticio patre productos *liberos* quidem esse et res proprias habere, in ordine tamen colonorum esse et non posse eos dimittere praedia, in quibus nati sunt, et excolere aliena, sed vicos ipsos, in quibus orti sunt, *cum libertate* colere" <sup>8)</sup>. Eadem oppositio invenitur in constitutione quadam Zenonis: „Si *liber colonus* vel *colona libera* tamiaco vel tamiacae matrimonii jure copuletur . . . *Sin autem adscripticii* . . ." <sup>9)</sup>

Etiam de ingenuitate eorum sermo fit; imperat Valentinianus „salva ingenuitate licentiam non habeat recedendi" <sup>10)</sup>);

<sup>1)</sup> L. 16. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> Nov. Just. CLVI. cap. 1.

<sup>3)</sup> L. 8. § 1. C. J. XI. 48.

<sup>4)</sup> Nov. Sev. II.

<sup>5)</sup> Nov. Val. XXX. praef.

<sup>6)</sup> L. 1. § 1. C. Th. V. 9.

<sup>7)</sup> Nov. Just. CLXII. cap. 2. fin.

<sup>8)</sup> Const. Justini de filiis liberarum.

<sup>9)</sup> L. 1. C. J. XI. 69. — Injuria igitur sumunt nonnulli hic mentionem fieri agricolarum omnino liberorum, neque solo adstrictorum. Etiam „liberi" coloni in L. 1. § 3. C. J. XI. 58 „originarii" sunt.

<sup>10)</sup> Nov. Val. XXX. § 5. fin.



et Theodosius „...licet condicione videantur ingenui, servi tamen terrae ipsius cui nati sunt aestimentur nec recedendi quo velint aut permutandi loca habeant facultatem”<sup>1)</sup>. Semel rursus ingenuis opponuntur: „ex ingenuo et colonis ancillisque nostris natos...”<sup>2)</sup>.

Huic condicionis jurisque differentiae quae in universum extat respondent in vita singula discrimina sat multa et magna. Semper separatim memorantur, saepius diligentissime distinguuntur. Non tamen id praecipuum discrimen habendum est quasi minus quam servi in potestate fuerint dominorum; hi quoque scilicet aequae ac coloni inde a IV<sup>i</sup> saeculi fine solo erant adstricti neque ex dominorum arbitrio poterant alienari.<sup>3)</sup> Sed primum hoc est animadvertendum: colonus matrimonium legitimum contrahere poterat, quod, ut est notum, servis minime erat concessum. Memorantur eorum „nuptiae”<sup>4)</sup>, „matrimonium”<sup>5)</sup>; „conjugium”<sup>6)</sup>; juxta ea semel quidem „copulationis” mentio fit<sup>7)</sup>, ita ut juxta „se conjungere”<sup>8)</sup> semel „se commis-

---

<sup>1)</sup> L. 1. § 1. C. J. XI. 52. Cette phrase a été mal comprise. On a traduit „videantur” par „ils semblent.” (Spectat fortasse ad WALLON. Hist. de l’esclavage III. p. 259, qui vertit: qu’ils peuvent sembler ingénus.) C’est un contresens. Dans la langue du quatrième siècle le verbe *videor* signifie être vu, et se dit, non des choses apparentes, mais des choses certaines; il a le même sens que le grec *φαίνεσθαι*. Cette vérité, qui ne peut échapper à quiconque a lu les textes de l’époque, a été démontrée récemment pour un écrivain du quatrième siècle par M. GOELZER dans sa thèse *Observationes grammaticae in Sulpicium Severum*. Il a fait la même remarque dans sa *Latinité de saint Jérôme*, p. 423–423.— La phrase de la loi de Théodose doit donc se traduire ainsi littéralement: „Ces colons, quoique, par leur condition, on voit bien qu’ils sont ingénus, doivent être pourtant regardés comme des esclaves de la terre pour laquelle ils sont nés. FUSTEL DE COULANGES. *Recherches sur quelques problèmes d’histoire*, pag. 102. adn. 5. Vide e. g. L. 1. C. Th. XIII. 5.

<sup>2)</sup> L. 4. C. J. XI. 68.

<sup>3)</sup> L. 7. C. J. XI. 48. *Quemadmodum originarios absque terra, ita rusticos censitosque servos vendi omnifariam non licet.*

<sup>4)</sup> L. 24. C. J. XI. 48. — *Nov. Just. CLVII. De colonis qui in alienis praediis nuptias contraxerunt.*

<sup>5)</sup> L. 1. C. J. XI. 69. — *Nov. Just. XXII. c. 17.*

<sup>6)</sup> *Nov. Just. CLXII. c. 3.*

<sup>7)</sup> L. 21. C. J. XI. 48.

<sup>8)</sup> L. 24. C. J. XI. 48: *sibi uxores conjungere*; *Nov. Just. CLVI. Cap. 1.*

cere" <sup>1)</sup> usurpetur; sed talia indicia tantum sunt illius contemptiois qua coloni premebantur <sup>2)</sup>. Alterum magnum discrimen id est, quod colonis licebat propria habere, quibus prorsus fere libere uti poterant; de qua re fusius agetur in disputatione de adscripticiis. Tunc simul apparebit hos quidem multis partibus propius accedere ad servos quam ii coloni qui, iis oppositi, liberi dicuntur.

DE VARIIS COLONORUM APPELLATIONIBUS ET GENERIBUS. Postquam conspectum dedimus colonatus juris, quemadmodum initium capiat et quomodo finiatur, lubet quaerere, antequam singula commemoramus quae leges nobis tradiderunt, num varia genera colonorum sint distinguenda. Etenim ex constitutionibus supra laudatis jam apparebat diversa nomina adhiberi; quaeritur autem num his etiam varia genera respondeant. Jam statim hoc est animadvertendum nihil esse quod ex diversitate nominum ad varietatem generum concludamus. Quod imprimis, quum inquirimus in condicionem colonariam, obstat, praeter raritatem scilicet testimoniorum, est legum ambiguitas, negligentia quaedam, qua res et personae denominantur et distinguuntur. Satis erit si hujus rei pauca exempla afferam. In constitutione Arcadii et Honorii legimus haec: „... Illud etiam servandum est, ut, si quando utriusque *fundi* idem dominus de *possessione* referta cultoribus ad eam *coloniam* quae laborabat tenuitate colonos transtulerit, idemque fundi ad diversorum jura dominorum qualibet sorte transierint, maneat quidem facta translatio, sed ita, ut *praedii* ejus dominus, quo coloni probantur fuisse transducti, translatorum agnationem restituat" <sup>3)</sup>. Itaque eadem res deinceps vocatur: fundus, possessio, colonia, praedium; alibi eadem dicitur: terra <sup>4)</sup>, saltus <sup>5)</sup>, territorium <sup>6)</sup>,

<sup>1)</sup> Constit. Justiniani de adscripticiis et colonis.

<sup>2)</sup> De quo plura infra in fine cap. III.

<sup>3)</sup> L. 13. § 1. C. J. XI. 48.

<sup>4)</sup> Ll. 20, 21, 22, 23. C. J. XI. 48; L. 1. § 1. C. J. XI. 53.

<sup>5)</sup> In inscriptionibus: saltus Burunitanus, et alia hujusmodi: cf. L. 1. C. J. XI. 64: coloni saltuenses.

<sup>6)</sup> L. 2. C. Th. XI. 7.

gleba <sup>1)</sup>, vicus <sup>2)</sup>, domus <sup>3)</sup>, <sup>4)</sup>. Ita etiam ordo colonorum varie vocatur: condicio, fortuna, fors, status.

Pari modo invenimus praeter illud generale nomen colonorum: coloni juris alieni <sup>5)</sup>, coloni originales <sup>6)</sup>, coloni originarii <sup>7)</sup>, originales <sup>8)</sup>, originarii <sup>9)</sup>, censiti <sup>9)</sup>, censibus adscripti <sup>10)</sup>, publico censui adscripti <sup>11)</sup>, alienis censibus adscripti <sup>12)</sup>, censibus annotati <sup>13)</sup>, censibus obnoxii <sup>14)</sup>, adscripticii <sup>8)</sup>, tributarii <sup>8)</sup>, inquilini <sup>8)</sup>, plebs rusticana <sup>15)</sup>, plebs <sup>16)</sup>, agricolae <sup>17)</sup>, rustici <sup>18)</sup>, rusticani <sup>19)</sup>.

Quinque haec extrema opus non est ut enucleentur: in universum colonis nomen indunt ex eorum opera agraria, nulla ratione habita condicionis peculiaris. Prima quoque appellatio per se intellegi potest: coloni jure colonatus fiunt alieni, itaque sunt juris alieni. Ad reliqua autem interpretanda accuratiore inquisitione opus erit.

DE ORIGINARIIS SIVE ORIGINALIBUS <sup>20)</sup>. Maxima illa latifundia, in quibus coloni agros colendos susceperant, saepissime quod ad jus publicum attinet extra solitam imperii descriptio-

<sup>1)</sup> L. 15. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> L. 8. C. J. X. 19.

<sup>3)</sup> L. 7. C.Th. I. 32; L. 4. C.Th. XV. 3. — Apud scriptores et in inscriptionibus praeterea inveniuntur: casa et massa. Vide: Hrs. Die Domänen der römischen Kaiserzeit. p. 67 sqq.

<sup>4)</sup> Dig. I. 16. de verborum significatione; L. 115. Quaestio est fundus a possessione vel agro praedio quid distet? Fundus est omne quidquid solo tenetur. Ager est si species fundi ad usum hominis comparatur. Possessio ab agro juris proprietate distat; quidquid enim adprehendimus, cujus proprietates ad nos non pertinet aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietates loci est. Praedium utriusque suprascriptae generale nomen est, nam et ager et possessio hujus appellationis species sunt. — De origine diversorum nominum vide etiam: SCHULTEN. Die römischen Grundherrschaften, p. 17. sqq.

<sup>5)</sup> Ll. 1. 2. C.Th. V. 9; <sup>6)</sup> L. 4. C. J. XI. 48; L. 1. C. J. XI. 68; <sup>7)</sup> L. 11. C. J. XI. 48; Nov. Val. XXX. pr.; <sup>8)</sup> passim; <sup>9)</sup> Ll. 4. 13. C. J. XI. 48; <sup>10)</sup> L. 1. C.Th. V. 3, L. 18. C. J. XI. 48, L. 2. C. J. XI. 50, Nov. Theod. II. 7. 4. § 2; <sup>11)</sup> L. 22. C. J. XI. 48; <sup>12)</sup> L. 3. C.Th. V. 4; <sup>13)</sup> L. 16. C. J. I. 3; <sup>14)</sup> L. 1. C. J. XII. 43; <sup>15)</sup> L. 10. C. Th. XIII. 1. <sup>16)</sup> L. 10. § 1. C.Th. VII. 8; L. 26. C.Th. XI. 1.; <sup>17)</sup> L. 1. C. J. XI. 48.; <sup>18)</sup> L. 5. C. J. XI. 48; <sup>19)</sup> L. 3. et 10. C. Th. XIII. 1.

<sup>20)</sup> Haec utraque vox idem significare primo obtutu patet. Ex abundantia comparari potest L. 1. C. Th. V. 10 ubi alternant: „Si quis *originalis* ante triginta annos.... Quod si quis *originaria* intra hos XXX annos....

nem erant; peculiare tunc iis nomen erat saltuum <sup>1)</sup>. Quoniam erant imperatoris vel senatorum, inter quos imprimis possessores inveniebantur, fundi erant excepti, municipiis exempti <sup>2)</sup>. A chorographis et apud scriptores sequioris aetatis saltus et possessiones memorantur juxta civitates tamquam municipia rustica juxta urbana. Ab omni parte propriam suam naturam habent, quasi sui juris sunt, habent *αὐράγχειαν*. Procuratores praedia praestare debebant ita ut decuriones municipia; fieri non potest ut quis ambobus muneribus simul fungatur. Incolae vacatione fruuntur obsequiorum municipalium, praesertim munerum decurionalium. Tributa non per decuriones exiguntur, sed nullo interposito statim rectoribus provinciae solvuntur.

In his saltibus coloni incolebant in casis circa villam, in communibus vicis vel, quatenus muniti erant, in castellis <sup>3)</sup>. Ac veluti civis nomen habebat ex civitate, ita coloni appellabantur ex vico qui municipii vicem erat <sup>4)</sup>. Legimus in inscriptionibus de „kolonis Kasturrensibus” i. e. colonis castelli Kasturrensis, de „colonis saltus Burunitani”, „castelli Cellensis”, „vici Augusti”. Itaque saltus prorsus cum municipiis adaequantur <sup>5)</sup>.

In romanis autem municipiis duo genera hominum extitisse

<sup>1)</sup> Extiterunt autem latifundia quae non saltus erant. „De tels domaines, si grands qu'ils soient en fait, ne se distinguent des autres propriétés plus petites que par leur étendue. Mais au point de vue du droit ils sont soumis à toutes les règles ordinaires de la propriété.” BEAUDOUIN. Les grands domaines etc. Nouv. Revue hist. XXI. p. 550; cf 553, 554. — De vocis saltus significationibus vide SCHULTEN. Grundherrschaften p. 25. 28.

<sup>2)</sup> Luculenter hoc demonstravit SCHULTEN l. l. p. 2—12. Imperator omnino nullius municipii civis erat, bona senatorum tantum in solo populi romani erant sita velut ipsi tantum cives romani sunt. Exemptio aliorum praediorum ex imperatoriis ac senatoriis est profecta. Possessiones Ecclesiae, quae nimirum nullius municipii erat, aequae erat exempta. De his rebus cf. His. Die Domänen der Kaiserzeit p. 115—117. BEAUDOUIN, l. l. p. 551 et 559—563; Rosrowzew. Staatspacht p. 433.

<sup>3)</sup> Frontinus p. 53. Habent autem in saltibus privati non exiguum populum plebejum et vicos circa villam. — De casis et vicis vide SCHULTEN, p. p. 45, 52, 105. BEAUDOUIN p. 565 adn. 1.

<sup>4)</sup> Minus recte putat SCHULTEN (l. l. p. 46) „dass sie doch correct nach dem Gutsherrn heissen müssten.” In toto colonorum jure id semper fingitur eos *solo* esse adstrictos neque *domino*, aliter igitur ac servi rustici.

<sup>5)</sup> Postea tales saltus veri vici facti sunt. BEAUDOUIN p. 559—563.

pervulgatum est; incolas dico, qui aliunde orti domicilium tantum in municipio habent, et cives, qui propter originem urbi sunt adstricti <sup>1)</sup>. Novimus ex legibus de illa origine neminem eximi posse <sup>2)</sup>. Inde cives nonnunquam etiam originarii vel originales vocantur <sup>3)</sup>. Etiam apud colonos, ut vidimus, de origine eorum saepe sermo est, cui adstricti esse dicuntur <sup>4)</sup>. Si aufugerant, origini suae reddi debebant <sup>5)</sup>. Inde fieri poterat ut etiam coloni originarii appellarentur.

Eo tempore, quo tot alii ordines quasi immoti facti sunt, originarii nomine omnes indicabantur, qui condicioni patris erant obnoxii. Interdum curiales ita vocantur <sup>6)</sup>, itemque navicularii <sup>7)</sup>, sed imprimis vox usurpata est pro *colonis* originariis vel originalibus, quandoquidem scilicet omnium obnoxiorum hi frequentissimi extabant.

Apparet igitur originarii nomen non de genere quodam colorum tantum valere, sed de omnibus quatenus sunt solo adstricti <sup>8)</sup>. In legibus nusquam cujusquam discriminis inter colonos

<sup>1)</sup> KUHN. Die städtische und bürgerliche Verfassung des römischen Reichs, I. p. 1–7. Die Gemeindeangehörigkeit bei den Römern.

<sup>2)</sup> L. 4. C. J. X. 39. Origine propria neminem posse voluntate sua eximi manifestum est.

<sup>3)</sup> C. J. X. 39. titulum habet: De municipibus et originariis; L. 4. C. J. X. 40. Cum neque originales neque incolas vos esse memoratis....

<sup>4)</sup> Jus colonatus, quo qui ei obnoxii erant, vetiti sunt originem relinquere itaque, si ad formam spectas, quasi amplificatio putanda est illius praecepti, quod exhibet L. 4. C. J. X. 39.

<sup>5)</sup> L. 1. C. Th. V. 9. Apud quemcumque colonus juris alieni fuerit inventus, is non solum eundem *origini suae* restituat, verum . . . Cf. L. 1. § 1. C. Th. V. 10. . . . *loco cui natus est* . . . jubemus restitui; et L. 4. C. J. XI. 68. Ex ingenuo et colonis ancillisque nostris natos natasve *origini, ex qua* matres eorum sunt, facies deputari.

<sup>6)</sup> L. 96. § 1. C. Th. XII. 1. In quorum desiderio etiam istud adjectum est, ut originales, qui ad diversa provinciarum officia confugerunt ex divi Juliani tempore, ad curiales functiones sublata omni ambiguitate retrahantur. — L. 50. C. J. X. 32. Omnes omnino curiales in originalibus ac debitis perpetuo curiis perseverent.

<sup>7)</sup> L. 1. C. Th. XIII. 5. Si navicularius originalis levamentarius fuerit, nihilominus apud eosdem, apud quos et ejus parentes fuisse videntur, firmiter permanebit.

<sup>8)</sup> Minus juste igitur SCHULTEN scripsit (Der Röm. Kolonat. Historische Zeitschrift 78. (1897) p. 13): Originarii sind offenbar die auf der

et originarios mentio fit. Rarissimo alteri juxta alteros memorantur<sup>1)</sup>, sive quoniam tunc coloni ii tantum intellegendi sunt qui ab omni parte liberi sunt, sive, quod veri multo similis videtur, negligentia quadam quam in legibus hujus temporis minime miramur<sup>2)</sup>. Semel dicitur colona *seu* originaria<sup>3)</sup>, quo probatur utrumque vocabulum idem valere<sup>4)</sup>; alio loco, in lege Honorii et Theodosii, colonus et originarius sine ullo discrimine alternis vicibus usurpantur<sup>5)</sup>.

DE INQUILINIS. Minus simplex quam in originariis inquisitio est in inquilinis. Quodsi in illis explicandis disputatio niti potuit nominis etymologia atque certo usu, inquilinorum appellatio et jam diu ante adhaerentiam colonorum invenitur et plus quam unam rem significavit. Necessae igitur erit diversarum significationum rationem reddere.

1. Longe major est numerus locorum in Digestis ubi per hanc vocem indicatur incola domus cujusdam quam conduxit neque ipse possidet; eo sensu saepissime memoratur juxta colonum, eum scilicet qui agrum alienum colendum suscepit<sup>6)</sup>. Luculentissime haec apparent ex L. 24. § 2. Dig. locati conducti XIX. 2. „*Si domus vel fundus in quinquennium pensionibus locatum sit, potest dominus, si deseruerit habitationem vel fundi culturam colonus vel inquilinus, cum eis statim agere.*”

---

Domäne geborenen. Etiā ii liberi originariae cujusdam, qui alibi sunt nati, (L. 1. § 4. C. Th. V. 10: in urbibus vel in quibuscumque locis) ipsi originarii sunt. Atque adscripticius fugitius reducitur „una cum subole sua *etsi in alia terra eam fecerit*”. (L. 23. C. J. XI. 48).

<sup>1)</sup> Nov. Val. XXVI. § 4; XXXIV. § 18.

<sup>2)</sup> cf. KÜHN. *Verf. des röm. Reichs* I. p. 279, quamquam spectans ad alia: Ich sehe darin nur Häufung tautologischer Benennungen, Schnörkel des Geschäftsstils.

<sup>3)</sup> L. 10. C. Th. X. 20.

<sup>4)</sup> *Exempla affert SCHULTEN. Die röm. Grundh.* p. 18. adn. 12: magistri sive conlegium Jovis Compagei sunt. (C. I. L. X. 3722): h(oc) m(onumentum) s(ive) s(epulcrum) h. n. s. (C. I. L. X. 3392); saltus praediaque Bitunias sive quo alio vocabulo sunt (tab. Veleias. Bruns fontes<sup>6</sup> p. 287.)

<sup>5)</sup> L. 1. C. Th. X. 10; Nov. Val. XXXIV. § 3.

<sup>6)</sup> Dig. IX. 3. 5. § 8; XI. 7. 14. § 1; XIX. 2. (locati, conducti) passim; XX. 1. 20; 4. 13; XXXIX. 1. 3. § 3; 2. 13. §§ 5 et 6; 2. 18. § 3; 2. 21; 2. 33; XLI. 2. 25. § 1; 2. 37; 3. 31. § 3; XLIII. 16. 20; 17. 3. § 3; 32. 1. § 1; 32. 2.

Etiam qui in domum alienam devertit, cujus partem incolit, nonnunquam inquilinus dicitur <sup>1)</sup>, quamquam id recte fieri negat Proculus <sup>2)</sup>. Fortasse de hac significatione cogitavit vir cl. WEBER cum scriberet <sup>3)</sup>: „Die mehrfach vorkommenden „inquilini“ sind „Einlieger“ d. h. nicht als Colonen angesetzte, aber ortsangehörige Eingesessene des Gutsbezirkes, wesentlich wohl Nachkommen von coloni.“

2. Tribus locis in Digestis inquilinus usurpatur pro incola praedii, atque id bis juxta colonum <sup>4)</sup>. L. 6. § 2. Dig. de precario XLIII. 26: Is qui rogavit ut precario in fundo moretur, non possidet, sed possessio apud eum qui concessit remanet. Nam et fructuarius (inquit, sc. Ulpianus) et *colonus* et *inquilinus* sunt in praedio et tamen non possident. — L. 4. § 8. Dig. de censibus L. 15: Si quis *inquilinum* vel *colonum* non fuerit professus, vinculis censualibus tenetur. — L. 112. de legatis et fidei commissis XXX: Si quis inquilinos sine praediis, quibus adhaerent, legaverit, inutile est legatum. —

Extremus ille locus viro cl. SEECK materiam praebuit ad conjecturam proponendam, in qua sententiam antea vulgatam de colonatus origine paulo mutata recepit. Quae disputatio ut recte intellegatur, necesse erit illius opinionis jam dudum desertae conspectum quam brevissimum dare.

Anno 1824 inventa est constitutio quaedam de Scyris, data

<sup>1)</sup> L. 2. § 1. Dig. VII. 8. Domus usus relictus est aut marito aut mulieri; si marito, potest illic habitare non solus, verum cum familia quoque sua. An et cum libertis, fuit quaestio. Et Celsus scripsit: et cum libertis; posse hospitem quoque recipere; nam ita lib. 18. Digestorum scripsit, quam sententiam et Tubero probat. Sed an etiam inquilinum recipere possit, apud Labeonem memini tractatum libro Posteriorum. Et ait Labeo, eum, qui ipse habitat, inquilinum posse recipere.

Martialis I. 86, 12. sqq:

Vicinus Novio vel inquilinus

Sit, si quis Novium videre non vult.

<sup>2)</sup> L. 4. Dig. VII. 8. Ceterum sine eo (sc. habitatore) ne hos (sc. inquilinos) quidem habitare posse. Proculus autem de inquilino notat, non belle inquilinum dici, qui cum eo habitet.

<sup>3)</sup> Die Römische Agrargeschichte. p. 257, adn.

<sup>4)</sup> Etiam apud Suetonium (Claudius 38) sermo est de „inquilinis praediorum.“ Fortasse primus locus, ubi hoc sensu occurrit, est Priapeum LXX. 1: Inlusit mihi pauper inquilinus, . . .

anno 409 <sup>1)</sup>, qua Scyri subacti possessoribus imperii offerebantur, quibus tamquam agricolis uterentur jure colonatus <sup>2)</sup>. Qui primus hanc legem edidit, WENCK, suspicabatur colonatum hoc modo olim, cum primum barbari in solo Romano collocarentur, creatum fuisse. ZUMPT ostendit hujusmodi colonias barbarorum in imperium jam deductas esse temporibus M. Aureli eo proposito, ut et fines imperii tuerentur et agros bellis et pestilentiiis exhaustos denuo incolis implerent <sup>3)</sup>. HUSCHKE has colonias ad tempora Augusti rettulit, et suspicatus est colonatum ab eo imperatore originem trahere: ad eum scilicet spectare „legem a majoribus datam“ de qua L. 1. C. J. XI. 41. loquitur <sup>4)</sup>. Ad eos se applicabant SAVIGNY <sup>5)</sup> et MARQUARDT <sup>6)</sup> et etiam MOMMSEN ad talem opinionem pronus erat <sup>7)</sup>.

Sed haec non par fuit eis quae contra eam allata sunt <sup>8)</sup>. Primum enim veri dissillimum videbatur de tam gravi et nova re, qualis est adhaerentiae creatio, sive ab Augusto sive ab alio lege esset sancta, prorsus nihil fuisse traditum. Deinde ex omnibus coloniis, quas afferebant viri docti, nullam compertimus deductam esse jure colonatus, neque hujus rei quodvis proprium memoratum esse invenimus. In lege anni 409 jus, quod aliunde ortum est, ad Scyras adhibitum esse videtur;

<sup>1)</sup> L. 3. C. Th. V. 4.

<sup>2)</sup> Cf. p. 27.

<sup>3)</sup> A. W. ZUMPT. Ueber die Entstehung und historische Entwicklung des Colonats. Rhein. Museum III. (1845) p. 1—69.

<sup>4)</sup> PH. EDUARD HUSCHKE. Ueber den Census und die Steuerverfassung der früheren Römischen Kaiserzeit. Berlin 1847. p. 145—175.

<sup>5)</sup> FR. C. SAVIGNY. Ueber den Römischen Colonat. Nachtrag. Vermischte Schriften. II. p. 54.

<sup>6)</sup> J. MARQUARDT. Römische Staatsverwaltung. II. p. 24. sqq.

<sup>7)</sup> TH. MOMMSEN. Decret des Commodus. Hermes XV. (1880) p. 411: Ob der Genesis dieser Neubildung (des Colonats) nachzukommen sein wird, entscheide ich nicht; sie ist aber so unrömisch, dass der erste Anstoss dazu wohl vom Ausland gekommen sein mag, etwa bei Gelegenheit der Ansiedelung deutscher dediticii auf römischem Gebiet durch Kaiser Marcus. Die Saat germanischer Leibeigenschaft ist dann auf fruchtbaren Boden gefallen und hat weit über ihre ursprünglichen Schranken hinaus gewuchert.

<sup>8)</sup> Conspectum eorum argumentorum dat B. HEISTERBERGK. Die Entstehung des Colonats. 1876. p. 25—31.



nullo modo licet tale quid ad antiquiores collocationes referre. Postremo loco spectabant illae ad defensionem imperii neque ad rem agrariam pertinebant; in condicione rusticorum nihil mutaverunt, comparandae sunt cum legionibus militum Romanorum quae in finibus imperii collocabantur.

In variis autem libris v. cl. SEECK hanc explicationem colonatus originis paulo mutatam denuo recepit <sup>1)</sup>. Cujus disputatio huc fere redit: M. Aurelium scimus Marcomannos devictos intra fines imperii Romano collocavisse <sup>2)</sup>; ex eodem fere tempore nobis traditum est rescriptum Marci et Commodi <sup>3)</sup>, in quo mentio fit inquilinorum praediis adhaerentium, atque id tali modo, ut facile appareat agi de instituto prorsus novo; quodsi hae res congruerunt vix fortuito id factum erit: „mit Sicherheit darf man schliessen“ <sup>4)</sup> Marcomannos collocatos esse eodem modo quo „laetos“ Germanos, glaebae scilicet adstrictos, et deinde inquilinos esse vocatos. „Welchen Sinn das Wort inquilinus im dritten Jahrhundert angenommen hatte, zeigt eine Stelle des Arnobius. <sup>5)</sup> Hiernach ist der Inquiline ein Mensch der aus fremden Ländern herkommt und sich auf einem Boden niederlässt, der ihm nicht gehört <sup>6)</sup>.

Haec argumentatio autem mihi videtur maxime vacillare et claudicare. Jam statim hoc animadvertas, quaeso, eam eo tantum niti, quod Marcomannorum collocatio ab Aurelio est facta et rescriptum supra memoratum in idem fere tempus cadit. Etenim neque priores collocationes neque hanc collo-

<sup>1)</sup> OTTO SEECK. Geschichte des Untergangs der Antiken Welt <sup>2</sup> I. p. 404. sqq. 578. sqq.

— — Die Schatzungsordnung Diocletians. Zeitschrift für Social und Wirtschaftsgeschichte. IV. p. 314.

— — Die Pachtbestimmungen eines römischen Gutes in Afrika. Zeitschr. f. Soc. und Wirtsch. Gesch. IV. p. 360.

— — s. v. colonatus. Real-lexicon PAULY-WISSOWA.

<sup>2)</sup> Julius Capitolinus. Marcus 22 et 24; Cassius Dio. LXXI. 11.

<sup>3)</sup> L. 112. Dig. XXX.

<sup>4)</sup> PAULY-WISSOWA s. v. colonatus.

<sup>5)</sup> Arnob. I. 12.... quare habere si locum vestras vultis querimonias, homines, prius est, ut doceatis, unde vel qui sitis, vobisne sit genitus et fabricatus mundus an in eum veneritis alienis ex regionibus inquilini.

<sup>6)</sup> Geschichte I. p. 582.

cationem usquam legimus colonatus jure esse factas. Dein illud quoque tenendum est eam significationem, quam SÆCK efficit ex loco Arnobii, haudquaquam tempore demum tertii saeculi in consuetudinem venisse. Sallustius tradit Catilinam de Cicerone locutum esse tamquam inquilino cive urbis Romae, quoniam aliunde ortus Romam migravisset <sup>1)</sup>.

Sed ad ipsam rem transeamus. In unica lege de collocandis barbaris in qua ipsis verbis adhaerentiae mentio fit <sup>2)</sup> viri subacti dicuntur agros culturi esse jure *colonatus*, neque jure inquilinatus. Quam difficultatem non effugis etiamsi cum viro cl. SÆCK suspiceris ea jam aetate colonatus et inquilinatus vocabula promiscue adhibita esse. Etenim et in legibus brevi ante promulgatis <sup>3)</sup> et in posterioribus <sup>4)</sup> semper inquilini juxta colonos separatim memorantur. Atque tamen id, credo, minime probandum erit, cum in communi usu verborum utrumque vocabulum semper distinguatur, in ipsa autem ordinatione de barbaris collocandis illius nominis loco, quod talis collocationis proprium esset, aliud nomen magis commune fuisse usurpatum.

Deinde — atque id per se jam satis est, ut opinor — apparet inquilinos extitisse qui tamen non essent solo astricti. Lex enim, in qua adhaerentia in Illyrico renuntiata est, uno tenore colonos et inquilinos nominat de quibus ea posthac valere jubet <sup>5)</sup>: „Colonos *inquilinosque* per Illyricum vicinasque regiones abundi rure, in quo eos originis agnationisque merito certum est immorari, licentiam habere non posse censemus” <sup>6)</sup>.

In eorum igitur sententia, qui putant primum inquilinatum creatum esse barbarorum subactorum respectu, ac dein colonatum tamquam illum imitantem, vix quemquam perseverare posse credo.

<sup>1)</sup> Sallustius. Bellum Catil. 31 § 7.

<sup>2)</sup> L. 3. C.Th. V. 4 (anno 409).

<sup>3)</sup> L. 1. et 2. C.Th. XII. 19. (anno 400); L. 13. C. J. XI. 48. (anno 400).

<sup>4)</sup> L. 1. C.Th. V. 10. (anno 419); L. 11. C. J. III. 26. (anno 442).

<sup>5)</sup> L. 1. C. J. XI. 53.

<sup>6)</sup> Ex inscriptione inventa apud Henchir Mettich comperimus etiam in saltibus africanis inquilinos fuisse. De barbarorum collocatione autem in Africa provincia, quantum equidem scio, nihil est notum.

Inutile est alias multas virorum doctorum opiniones nonnunquam prorsus contrarias afferre <sup>1)</sup>; appareret tantum de hac re, ut est obscurissima, nihil pro certo affirmari posse. Sed fortasse aliquid lucrari possumus ex iis, quae multis saeculis post de vocabuli significatione traduntur. Legimus enim in glossa quadam mediæ aevi: „Distat inter inquilinos et colonos, quod inquilini sunt qui alterius terram incolunt, sed non in ea perpetuo durant, sed migrant de loco ad locum. Coloni vero colunt alterius terram quasi suam, sed non migrant sed in ea perdurant” <sup>2)</sup>. Quibuscum conferri possunt Isid. Orig. IX. 4. 38. „Inquilini enim sunt qui emigrant at non perpetuo permanent.” Ut haec prorsus eodem modo valuerint de inquilinis aetatis imperatoriae fieri non potest; scimus enim inquilinos aequè ac colonos solo adstrictos fuisse. Sed fortasse ii intelligendi sunt, qui in praedio quidem opus rusticum obibant, extra autem praedium habitabant; quae si ita essent, quadrarent etiam cum vocis etymologia, inquilinus enim idem est ac incola, et incola semper is fuit qui aliunde ortus alibi morabatur <sup>3)</sup>.

Quamquam inquilinorum propria condicio erat <sup>4)</sup>, discrimina cum colonis minimi momenti fuerunt. Disertis verbis id enuntiat in L. 13. C. J. XI. 48. „Definimus, ut inter inquilinos colonosve, *quorum quantum ad originem pertinet vindicandam indiscreta eademque paene videtur esse condicio*, licet sit discrimen *in nomine*, suscepti liberi vel utroque vel neutro parente censito....

<sup>1)</sup> Ut unum exemplum afferam: cum SEECK inquilinos putet esse *barbaros* subactos, e contrario ZUMPT arbitratus est inquilinos *Romanos* fuisse qui colonatui barbarorum obnoxii facti sunt.

<sup>2)</sup> HAENEL. *Lex romana Wisigothorum* p. 460; laudat hanc BEAUDOUIN XXII. p. 736.

<sup>3)</sup> Vide locos apud KUHN. I. p. 6. adn. 30. Cf. L. 2 § 4. C.Th. IX. 21... actor fundi vel servus *vel incola* (= inquilinus) vel colonus. — Notatu digna etiam est L. 239. § 2. Dig. L. 16: *Incola est, qui aliqua regione domicilium suum contulit, quem Graeci πάροικον* (id est juxta habitantem) appellant. Nec tantum hi, qui in oppido morantur incolae sunt, *sed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se, quasi in aliquam sedem, recipiant*.

<sup>4)</sup> Cf. etiam L. 17. § 7. Dig. XXVII. 1. Inquilini castrorum a tutelis excusari solent, nisi eorum, qui et ipsi inquilini sunt, et in eodem castro *eademque condicione* sunt.

Ex quo simul apparet pariter ac colonos etiam inquilinos censitos, i. e. ut infra demonstrabitur, adscripticios esse posse. Legimus in L. 6. C. J. XI. 48: „adscripticii coloni vel inquilini” et apud Sidon. Apoll. (V. ep. 19) „inquilini tributarii.”

DE ADSCRIPTICIIS. Quamquam in interpretando adscripticiorum nomine ac genere plura documenta nobis praesto sunt quam in disputatione de inquilinis, non minus difficile est pro certo statuere quae adscripticiorum condicio fuerit. Jam statim quaerendum est num re vera colonorum numero attribuendi sint. Fuit enim ROBERTUS qui probare conaretur adscripticios fuisse servos. Postquam admonuit saepius in legibus mentionem fieri colonorum *liberorum* ita pergit:<sup>1)</sup> „Wenn somit das Dasein eines freien Colonats ausdrücklich in dieser Stelle<sup>2)</sup> dargethan wird, so geht auch aus dem Gegensatz, in welchen derselbe zu dem adscripticischen Colonat gestellt, wie daraus, dasz dem letzteren nur Peculium, das dem Herrn gehöre, zugestanden wird, nothwendig hervor, dasz dieser adscripticische Colonat ein Sklaven-colonat war. Dies wird aber auch durch Nov. 54. bestätigt, wo die condicio adscripticia ausdrücklich eine servilis genannt wird. Und dasz das servilis hier wörtlich zu verstehen ist, geht wieder aus L. 23. C. J. XI. 47. (48) schlagend hervor, wo für alle Zeit die Freilassungen der Adscripticier verboten, diese der unbedingten Erbllichkeit ihres Standes, so wie für alle Zeit mit ihren Nachkommen der Versteuerung im Kapital unterworfen werden und, wenn fugitiv, nach Sklavenart, wie Diebe an ihrer Person, bestraft werden sollen.”

Sin autem locos quos laudat R. accuratius inspicimus, comprimimus prorsus contraria ex iis efficienda esse atque ea quae demonstrare voluit. Novellae Just. 54. enim praefatio ita sonat: „In quadam nostrarum constitutionum nihil obscuritatis habente motae sunt quaestiones ab aliquibus ex studio et ad

<sup>1)</sup> Zur Geschichte der agrarischen Entwicklung Roms. Jahrbücher für National-ökonomie und Statistik. Zweiter Band. 1864. p. 251.

<sup>2)</sup> L. 1. § 3. C. J. XI. 53. In libertis etiam, quos pari usurpatione suscepit, is modus sit, quem circa liberos duximus colonos retinendum. — De „liberis” colonis vide p. 33.

suam intentionem obscuritatem ei introducentibus. Cum enim libertatis amatores simus, nuper posuimus legem, ut non secundum antiquitatem, si ex adscripticia et libera persona processerit suboles, omnino eam sequi adscripticiam fortunam, sed *secundum servilis fortunae observationem*, sic etiam super adscripticiis putari....” Patet verba quae literis cursivis scripsi significare: in servilis condicionis modum, ita ut mos est in servos <sup>1)</sup>. Ex quo illud ipsum effici debet adscripticios *non* esse servos. Idem apparet ex L. 23. C. J. XI. 48. „... Et si se celaverit vel separare conatus fuerit, (sc. adscripticius) *secundum exemplum servi fugitivi* sese diutinis insidiis furari intellegatur....” Hic quoque igitur servo opponitur adscripticius.

Alibi saepius juxta servos memorantur: L. 6. § 9. C. J. I. 12. „Sane si *servus* aut *colonus* vel *adscripticius*, familiaris sive libertus et hujusmodi aliqua persona domestica vel condicioni subdita....”; L. 3. C. J. VIII. 51. „Sancimus nemini licere, sive ab ingenuis genitoribus puer parvulus procreatus sive a libertina progenie sive servili condicioni maculatus expositus sit, eum puerum in suum dominium vindicare sive *nomine domini* sive *adscripticiae* sive *colonariae condicionis*.” — Luculentissime fortasse discrimen apparet ex L. 21. C. J. XI. 48 in qua id agitur cui statui liberi ex adscripticia et servo, vel ex adscripticio et ancilla nati, attribuendi sint: „Ne diutius dubitetur si quis ex adscripticia et servo vel adscripticio et ancilla fuisset editus, *cujus status sit*, vel *quae pejor fortuna sit*, utrumne adscripticia an servilis, sancimus....” ROBERTUS etiam hunc locum commemorat, sed ei vim argumenti adimere conatur <sup>2)</sup>. „Die Adscripticier werden hier nur deshalb neben den gewöhnlichen Sklaven genannt, weil sie, wenn auch selbst sklavischen Standes, doch ausserdem noch an die Scholle gebunden waren, die gewöhnlichen Haussklaven aber dem freien Verkehr unterlagen. Theils deshalb also, theils weil Adscripticier und Sklaven verschiedenen Herren gehören konnten, musste eine Bestimmung über die

<sup>1)</sup> Cuius notum est, liberos ancillae, quisquis est pater, servos esse. Gajus l. 82.

<sup>2)</sup> l. l. p. 251, adn. 42.

Kinder von Beiden getroffen werden." Quod ad primum attinet, servi, de quibus haec lex agit, non sunt „die gewöhnlichen Haussklaven," sed ut in omnibus aliis legibus, in quibus juxta colonos memorantur, servi rustici sunt, pariter atque adscripticii et coloni solo adstricti <sup>1)</sup>. Sed etiam alterum illud sensum aptum non habet, quoniam, si in ea lege ageretur de adscripticio et ancilla *diversorum dominorum*, id quidem dijudicare opus esset *cujus* essent liberi, non tamen *cujus status*.

Satis igitur constat adscripticios non servos fuisse <sup>2)</sup>. Immo coloni sunt aequae ac alii, quamquam deterioris condicionis. Id patet ex lege quadam Zenonis, ubi statuitur ut domini, siquidem unus ex eorum adscripticiis episcopus creatus sit, tamen dominium suum vindicare possint „ad similitudinem ceterorum colonorum" <sup>3)</sup>. Alibi memorantur „coloni adscripticiae conditionis" <sup>4)</sup>. Interdum adscripticius et colonus alternis usurpantur sine discrimine <sup>5)</sup>. Plerumque itaque credunt viri docti utroque nomine idem significari. Extant tamen inter adscripticios et colonos non exigua discrimina, quae probant diversae conditionis mentionem fieri potuisse. Quae necesse erit deinceps enumerare ac tractare.

1. Extat magnum discrimen quod attinet ad domini rationem. Apud colonos saepissime domini eorum mentio fit, quod peculium appellatur. In quo tamen id animadvertendum est eos tali appellatione minime cum servis adaequari; etenim etiam res

<sup>1)</sup> L. 7. C. J. XI. 48. Quemadmodum originarios absque terra, ita rusticos censitosque servos vendi omnifariam non licet.

<sup>2)</sup> In eis, quae sequuntur, etiam plura discrimina occurrent inter adscripticios et servos.

<sup>3)</sup> L. 36. C. J. I. 3. Jubemus adscripticiorum creationes secundum veterem constitutionem, nisi dominorum possessionum, unde oriundi sunt, evidens concurrerit consensus, nullius penitus esse momenti, sed isdem fundorum dominis, qui faciendae creationi non sicut dictum est evidenter consenserint, jus proprium ad similitudinem ceterorum colonorum in suos adscripticios exercendi.

<sup>4)</sup> L. 11. C. J. III. 38.

<sup>5)</sup> L. 23. C. J. XI. 48. Cum satis inhumanum est terram quae ab initio *adscripticios* habebat suis quodammodo membris defraudari, et *colonos* in aliis terris demorantes dominos terrae maximis damnis afficere, censemus...

uxoris et liberorum ita vocantur 1); in universum eorum qui non sui juris sunt.

Peculium illud duplicis generis est; constat enim aut reditu agrorum quos colendos susceperunt, scilicet deductione facta mercedis et tributorum; aut terra ipsa.

Ad primum spectatur si fugitivi jubentur reduci cum omni peculio suo 2).

Notatu dignius est quod secundo loco dicebatur, nempe colonos etiam terram possidere posse. Incipiamus eos locos enumerare in quibus talis possessionis mentio fit. L. 4. C. J. XI. 48 statuit ut domini tributa colonorum suorum praestare debeant, nisi

1) E. g. L. 13. C. J. III. 36. Certum est liberorum peculia post mortem patris in hereditate dividenda ad communionem esse revocanda. Cf. contra L. 182. de verborum significatione. Dig. L. 16. Pater familias liber peculium non potest habere quemadmodum nec servus bona.

2) L. 1. § 2. C. Th. V. 10. Quod si forte ipse (sc. originarius), de cujus proprietate certatur, fatali sorte consumptus est, ejus posteritatem agrorum juri cum omni peculio atque mercedibus, velut eo superstite qui decessit, celeri jubemus executione revocari. — Quando in tali re sermo esse potuerit de mercede effici posse credo ex L. 8. C. J. XI. 48: Omnes profugi in alieno latebras collocantes cum emolumentis tributariis, salva tamen moderatione, revocentur, scilicet ut si, apud quos homines reperiuntur, alienos esse noverant fugitivos et profugis in lucrum suum u. i sunt, hoc est sive excoluerunt agros fructibus dominis profuturos sive aliqua ab isdem sibi injuncta novaverunt nec mercedem laboris debitam consecuti sunt, ab illis tributa quae publicis perierunt functionibus exigantur. Ceterum si occultato eo profugi, quod alieni esse videntur, quasi sui arbitrii ac liberi apud aliquem se collocaverunt aut excolentes terras partem fructuum pro solo debitam dominis praestiterunt cetera proprio peculio reservantes, vel quibuscumque operis impensis mercedem placitam consecuti sunt, ab ipsis profugis quaecumque debentur exigantur: nam manifestum est privatum jam esse contractum. — Quae voluerit haec lex, quam Lzo (Die capitatio humana und die cap. plebeja p. 114–124) comparando cum L. 23. C. J. X. 1. 48. valde perplexe interpretari conatur, quantum video, huc fere redit: si detentator est mala fide, i. e. si optime scit se colonum fugitivum detinere, poena dignus est atque indemnitas ab eo repeti potest; malam ejus fidem coarguit id quod eum tanquam colonum tractat atque igitur mercedem non pendit. Si contra bona fide est, i. e. si putat rem sibi esse cum homine libero, non is, sed ipse fugitivus poenae obnoxius est; ejus bona fides apparet ex eo quod colono tanquam libero operario utitur atque igitur ei mercedem pendit. Mercedem igitur is fugitivus accipit qui pro libero se probavit atque eo modo se locavit.

forte terra quantulacumque eorum ipsorum sit <sup>1)</sup>). L. 6. C.J. XI. 68. indicat quomodo agendum sit cum pars agri fiscalis colono cuidam veneat <sup>2)</sup>). L. 33. C.Th. XII. 1. id prospicit si curialis, ut officia condicionis suae detrectet, colonus fiat in agro quodam patrimoniali et ponit fieri posse ut quis dominium privatum habeat praeter agrum conductum <sup>3)</sup>). L. 20. C.J. XI. 48. fuse enarrat quae ratio ineunda sit, si colonus quidam cum domino suo litiget de dominio agri; L. 1. C.Th. V. 10. loquitur de propriis arvis <sup>4)</sup>, et Nov. Just. CLXII. cap. 2., postremo, de propria possessione <sup>5)</sup>). — In extremam hanc legem paulo accuratius inquirendum est. Statuit ut liberi ex libera matre et adscripticio patre procreati liberi quidem sint, sed eadem ratione qua hoc valet de colonis ordinariis: a praedio discedere non licet; praeterquam — et hoc notatu dignum videtur — si ipsi domini fiunt praedii cujusdam, quod per se sufficiat eis parare quae ad victum opus sunt neque permittit ut etiam alienum praedium colant atque ibi considant <sup>6)</sup>). In quo nunc id agitur, num, omni vinculo cum domino rupto, etiam adhaerentia ad ipsum praedium quod colunt sublata sit, i.e. utrum

<sup>1)</sup> L. 4. § 1. C. J. XI. 48. Sane quibus terrarum erit quantulacumque possessio... ab hujus praecepti communionem discernimus.

<sup>2)</sup> L. 6. C. J. XI. 68. Quotiens alicui colonorum agrum privati patrimonii nostri placuerit venundari...

<sup>3)</sup> L. 33. C. Th. XII. 1. Quoniam sublimitas tua suggessit, multos declinantes obsequia machinari, ut privilegia rei privatae nostrae colonatus jure sectantes curialium nominationes declinent, sancimus, ut, quicumque ultra viginti quinque jugera privato dominio possidens amplioem ex re privata nostra jugerationis modum cultura et sollicitudine propria gubernaverit, omni privilegiorum vel originis vel cujuslibet excusationis alterius frustratione amota, curiali consortio vindicetur.

<sup>4)</sup> L. 1. C. Th. V. 11... si qua propria (sc. arva) habent.

<sup>5)</sup> Nov. Just. CLXII. cap. 2... sin ex libera matre (sc. et adscripticio in praedio aliquo nati sunt), manebunt quidem liberi... nec tamen ex praedio egredientur, sed hoc colent, neque licebit iis hoc relinquere atque alia obire aliena, nisi forte domini facti sint propriae alicujus possessionis, quae sufficiat ad eos in ipsa occupandos nec alia quoque etiam colere permittat atque in illam transmigrarint.

<sup>6)</sup> L. 7. C. Th. XI. 1. ad Senatum. Compertum est, pro colonis profugis ad exsolvenda vos fiscalia conveniri. Jubemus igitur, si nihil ex eorundem terris senatorum quemquam possidere constiterit, ut nulla cuiquam pensandi pro his, qui aufugerint, necessitas imponatur.



tales minores possessores tamen maneant terrae suae adstricti necne. Si nobiscum reputamus adhaerentiam, praeterquam quod utilitatem afferebat possessoribus, etiam fisci commodo fuisse, quoniam hujus maxime intererat, ratione habita tributorum, terras non incultas manere — jam ex ipsa rei natura veri simile videtur adhaerentiam etiam ad tales minores possessores pertinuisse. Praeterea autem legem habemus ex qua quin idem effici possit, vix est dubitandum. In hac Constantius et Constans statuerunt ut senatoribus — et in his imprimis erant possessores<sup>1)</sup> nulla tributa agnoscenda essent pro illis colonis profugis, quorum terrarum prorsus nihil possidere eos constaret. Itaque hi quoque coloni, qui suos ipsorum agros relinquunt, profugi appellantur, et credere necesse videtur etiam tales terris quas coluerunt ligatos fuisse.

Dominium igitur habebant coloni, quod tamen non prorsus libere exercere poterant, inde peculii nomen. Non licebat eis agros aliis transferre, vendere aut quoquo modo alienare inconsultis aut nesciis dominis<sup>2)</sup>. Horum assensu opus esse tamen nusquam additur, ex quo apparet dominii potestatem paullulum tantum diminui.

Per se intellegitur colono non licere agrum quem conductum habet alienare<sup>3)</sup>; quod si tamen accidit, novo possessori ager potest adimi ita ut ne pretium quidem ei solvatur<sup>4)</sup>. Neque nexum praediorum facere potest colonus quippe qui obli-

---

<sup>1)</sup> Cf. KUHN. Verfassung des Röm. Reichs. I. p. 270. *verf. d. r. p. 49.*

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. V. 11. Non dubium est, colonis arva, quae subigunt, usque adeo alienandi jus non esse, ut, et si qua propria habeant, inconsultis atque ignorantibus patronis in alteros transferre non liceat. — L. 2. § 3. C. J. XI. 50. Cum enim saepissime decretum sit, ne quid de peculio suo cuiquam colonorum ignorante domino praedii aut vendere aut alio modo alienare liceret...

<sup>3)</sup> L. 1. C. Th. V. 11.

<sup>4)</sup> L. 2. C. J. VII. 38. Universas terras, quae a colonis dominicis juris rei publicae vel juris templorum in qualibet provincia venditae vel ullo alio pacto alienatae sunt, ab his, qui perperam atque contra leges eas detinent, nulla longi temporis praescriptione officiente jubemus restitui, ita ut nec pretium quidem iniquis comparatoribus repscere liceat.

gari non possit <sup>1)</sup>. Qui ei pecuniam mutuam dat, nunquam ad dominum possessionis regredi potest <sup>2)</sup>. Neque e contrario coloni conveniri possunt pro locatorum debitis <sup>3)</sup>. Qui terram ejus emit furti tenetur <sup>4)</sup>.

Peculium omnino in potestate coloni fuisse ex eo quoque apparet, quod fiscus ei, ut poenam sumat, partem hujus adimere potest: veluti donatistae haeretici tertia parte peculii multantur <sup>5)</sup>. Supra vidimus colonum praeter agrum conductum etiam alium emere potuisse quem coleret <sup>6)</sup>. Num etiam ab alio ac domino suo terram *conducere* potuerit — de hac re, ut de multis aliis, silent leges. Id fieri potuisse etiam nullo testimonio adhibito cum magna veri specie expectari potest; praeterea autem extat locus apud Palladium, (unicus locus, quantum vidi, quo coloni mentio fit apud eum) quo talis suspicio niti possit. Inter multa alia consilia ad rem agrariam pertinentia, etiam monet: „domino vel colono confinia possidenti, qui fundum vel agrum suum locat, damnis suis ac litibus studet” <sup>7)</sup>. Si cum solita opinione facias Palladium IV<sup>o</sup> saeculo vixisse <sup>8)</sup>; si con-

<sup>1)</sup> L. 2. C. Th. II. 30. Nexum non faciat praediorum, nisi persona, quae jure potuit obligari. Per servum autem vel procuratorem, colonum vel actorem seu conductorem praedictum possessioni invito vel inscio domino imponi non posse, et juris et legum auctoritatibus decantatur.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. II. 31. Dominos ita constringi manifestum est actione praetoria, quae appellatur Quod jussu, si certam numerari praeceperint servo actorive pecuniam. Igitur in perpetuum edictali lege sancimus, ut, qui servo, colono, conductori, procuratori actorive possessionis pecuniam commodat, sciat, dominos possessionum cultoresve terrarum obligari non posse. — L. 11. C. J. IV. 10. Nimia credulitate circumventa es quia quod colonis in rem suam mutuo dedisti a domino praedii postulare posse credidisti; nec ad eum obligandum actorem ipsius adjuvat te praesentia.

<sup>3)</sup> L. 3. C. J. IV. 10. Ob causas proprii debiti locatoris conveniri colonos pensionibus ex placito satis facientes perquam injuriosum est.

<sup>4)</sup> Cod. Herm. XVI. Summa. Nec servum nec colonum peculium suum posse distrahere: insuper et ementes furti actione tenendos.

<sup>5)</sup> L. 54. § 8. C. Th. XVI. 5. Servos vero et colonos coercitio ab hujusmodi ausibus severissima vindicabit. Ac si coloni verberibus coacti in proposito perduraverint, tunc tertia peculii sui parte mulctentur.

<sup>6)</sup> L. 6. C. J. XI. 68.

<sup>7)</sup> Palladius I. 6.

<sup>8)</sup> Vide MARTIN SCHANZ. Geschichte der römischen Literatur. IV. 1. § 844, p. 172. Die Zeit des Palladius.

sideres eum agere de re agraria praesertim Italiae<sup>1)</sup>; si scias eo tempore, ut apparet ex multis constitutionibus ad Praefectum Praetorio Italiae directis<sup>2)</sup>, colonatum ibi late vulgatum fuisse, veri simillimum putes eum colonum, ad quem Palladius spectabat, originarium intellegendum esse. Quod si ita est, apparet hos etiam ab aliis agros conducere potuisse.

Si haec omnia complectimur, statuere possumus colonis peculii postestatem, sive terra constabat sive aliis rebus, fere integram fuisse.

Longe aliter res se habet cum dominio adscripticiorum; hoc saepissime dicitur competere dominis. Luculentissime id enuntiatur — in quo simul discrimen apparet cum colonorum dominio — in constitutione Anastasii: *Τῶν γεωργῶν οἱ μὲν ἐναπόγραφοί εἰσι καὶ τὰ τούτων πεκούλια τοῖς δεσπόταις ἀνήκει, οἱ δὲ χρόνῳ τῆς τριακονταετίας μισθωτοὶ γίνονται ἐλεύθεροι μένοντες μετὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν. καὶ οὔτοι δὲ ἀναγκάζονται καὶ τὴν γῆν γεωργεῖν καὶ τὸ τέλος παρέχειν. τοῦτο δὲ καὶ τῷ δεσπότῃ καὶ τοῖς γεωργοῖς λυσιτελεῖς<sup>3)</sup>*. Idem alibi quoque significatur. L. 2. § 2. C. J. XI. 50. in qua agitur de colonis „censibus dumtaxat adscriptis” (videbimus eos

<sup>1)</sup> II. 7. Foenum graecum in Italia colligendi seminis causa mense Januario ultimo, circa Februarias calendas serimus; III. 25. 20: mihi usu compertum est in Italia circa Urbem...; IV. 10. 16: quod ego in Sardinia [et in] territorio Neapolitano in fundis meis comperi.

<sup>2)</sup> Vide pag. 80.

<sup>3)</sup> L. 19. C. J. XI. 48. Agricoliarum alii adscripticii sunt, quorum peculia ad dominos pertinent, alii triginta annorum tempore coloni fiunt, liberi tamen cum rebus suis manent; etenim hi quoque et terram colere et tributum solvere coguntur. Hoc autem tam domino quam agricolis expedit. — Injuria sumunt SAVIGNY (Ueber den römischen Colonat. Vermischte Schriften. II. p. 30, 31), PUCHTA (Cursus der Institutionem II. p. 459 n. k.), LEO (Die cap. hum. und die cap. pleb. p. 92. n. 256, p. 106. n. 283) hisce colonis pariter ac eis de quibus loquitur L. 25. C. J. XI. 48. et Nov. Just. CLXII. cap. 2., si dominium suum alienare vellent, assensu dominorum non opus fuisse. Coloni atque ita eorum dominium libera dicuntur, quia opponuntur adscripticiis eorumque dominio. Quid significaverit illa „liberi” appellatio supra (p. 33) interpretari conatus sum. Tertium genus colonorum extitisse, quod ex tali opinione sequeretur, prorsus pullo indicio probari potest. Quin immo veri dissimillum putandum est liberos *adscripticiorum* (de quibus enim agit Nov. Just. CLXII) conditioni fortunatae additos fuisse.

adscripticios esse), docet: „cujus ipsi sunt, ejusdem omnia sua esse cognoscant.” Et Nov. Just. CLXII. cap. 2, postquam statuit ut qui ex libéra matre et patre adscripticio nati sunt, non adscripticii essent, sed coloni, hisce verbis concludit: „sin ex libera matre (sc. et adscripticio patre nati sunt), manebunt quidem liberi, (i. e. non fiunt adscripticii) et quae ab iis acquisita sunt penes ipsos erunt *nec peculium fiet dominorum.*”

Itaque adscripticiis dominium acquirere quidem licet <sup>1)</sup> — quin etiam semel sermo est de agrorum possessione <sup>2)</sup> — sed res suas obire libere non possunt; hac in re igitur prope ad servos accedunt. Hoc tamen differunt quod jus habebant omnia sua legandi <sup>3)</sup>, quo probatur potestatem domini non tam absolutam fuisse quam videri potest ex legibus supra laudatis. Etenim cum clerici et monachi decedunt intestati res eorum ecclesiae fiunt, praeterquam si mortui liberti, curiales aut censibus adscripti fuerunt; quod si ita erat, res eorum patronis, curiis aut dominis cesserunt <sup>4)</sup>. Quo ex praecepto effici potest adscripticiis copiam quidem fuisse testamenti faciendi siquidem noluerunt res suas dominorum fieri. Etiam quod cum libertis et curialibus adaequantur facit ut eorum condicio minus iniqua videatur.

<sup>1)</sup> L. 2. § 3. C. J. XI. 50. ... acquirendi tantum, non etiam transferendi potestas.

<sup>2)</sup> Nov. Just. CXXVIII. cap. 14. Nullus autem penitus molestetur pro tribulis terrarum quas non possidet, sed etiam si contingat agricultores alicui competentes aut adscripticios propriam habere possessionem, illos pro ea publica exigi tributa, domino eorum nullam pro eis molestiam sustinente, nisi forte propria voluntate tali functioni se fecit obnoxium.

<sup>3)</sup> Injuria putat *Родбертус* (l. l. p. 253) discrimen inter colonos et adscripticios ratione habita dominorum etiam nominibus significatum esse, haec locutus: „Die Adscripticier oder sklavischen Colonen hatten in ihrem Herrn einen Herrn ihrer Person, der dominus (adscripticii) hiesz; die freien Colonen hatten in ihm nur einen Grundherrs, der patronus oder auch nur dominus terrae hiesz.” — Saepissime apud adscripticios sermo est de „agri domino” (L. 16. C. J. I. 3), „domino possessionis” (L. 20. § 1. C. J. I. 3), „domino fundorum” (L. 36. C. J. I. 3); contra autem possessor apud colonos saepe dominus tantum dicitur (L. 10. § 1. C. Th. X. 20), atque etiam semel vocatur „is a quo possidetur (sc. colonus).” (L. 1. C. Th. V. 10).

<sup>4)</sup> Apud servos, ut notum est, hoc beneficium finitum erat ad servos publicos quod attinebat ad dimidium peculii.

<sup>5)</sup> L. 20. C. J. I. 3. Si quis presbyter aut diaconus aut diaconissa aut subdiaconus vel cujuslibet alterius loci clericus aut monachus aut mulier, quae solitariae vitae dedita est, nullo condito testamento decesserit nec

2. Alterum peculiare quo adscripticii a colonis ordinariis differunt, ex nomine jam derivandum est. Adscripticius adjectivum est participii adscriptus <sup>1)</sup>, (cf dediticius — deditus) et adscribere significat juxta aliud quid scribere <sup>2)</sup>, dein in univ-ersum: adjungere <sup>3)</sup>. Quomodo adscripticii significatio derivanda sit bifariam conjici potest. In legibus memorantur „praedium cui certus plebis numerus adscriptus est” <sup>4)</sup>; „possessio cui quis eorum fuerat adscriptus” <sup>5)</sup>, „vicis adscripti” <sup>6)</sup>. Putaverit igitur aliquis vocabulum ab hoc usu derivatum esse et significare: adjunctum ad, pertinens ad. Sed tunc illa denominatio valere debuit de omnibus colonis nullo excepto; re vera autem pars tantum eorum ita vocatur.

Tamen etiam dicitur in legibus „censibus adscripti” <sup>7)</sup>, „publici census adscriptio” <sup>8)</sup>; quod si scimus, ita eos vocari veri simile videtur, quoniam in albo census sunt *in*scripti, juxta alios *ad*scripti. Sin autem huic interpretationi non eadem adversantur ac priori, scilicet nomen tunc ad omnes colonos pertinere debere, necesse est colonos fuisse qui *non* censibus adscripti essent. Idem apparet ex lege Arcadii et Honorii sta-

---

ei parentes utriusque sexus vel liberi vel si qui agnationis cognationisve jure junguntur vel uxor extiterit, bona, quae ad eum vel ad eam pertinerint, sacrosanctae ecclesiae vel monasterio, cui fuerat destinatus aut destinata, omnifariam socientur. Exceptis his facultatibus, quas forte censibus adscripti vel juri patronatus subjecti vel curiali conditioni obnoxii clerici vel monachi cujuscumque sexus relinquunt; nec enim justum est bona seu peculia, quae aut patrono legibus debentur aut domino possessionis, cui quis eorum fuerat adscriptus, aut ad curias pro tenore dudum latae constitutionis sub certa forma pertinere noscuntur, ab ecclesiis vel monasteriis detineri.

<sup>1)</sup> Semel mentio fit colonorum adscriptorum. L. 17. C. Th. X. 20.

<sup>2)</sup> Livius scribit juxta „deducere colonos” etiam „adscribere colonos”. (XXXII. 7. 3: XXXV. 9. 8.)

<sup>3)</sup> Eo sensu adscripticius semel occurrit apud Cic. De rer. nat. III. cap. 15. § 39. fin. Jam vero in Graecia multos habent ex hominibus deos...; Romulum nostri, aliosque complures, quos quasi novos et adscripticios in caelum receptos putant.

<sup>4)</sup> L. 26. C. Th. XI. 1.

<sup>5)</sup> L. 1. C. Th. V. 3.

<sup>6)</sup> L. 6. C. Th. XI. 24. — Qui in hac lege fuerint „homologi” coloni, optime explicavit WASZYNSKI. Die Bodenpacht, pp. 36, 49, 164.

<sup>7)</sup> L. 1. C. Th. V. 3; L. 18 et 19. C. J. XI. 48; L. 2. C. J. XI. 50.

<sup>8)</sup> L. 22. C. J. XI. 48.

tuente ut ex inquilinis et colonis procreati semper condicionem paternam sequantur sive uterque sive neuter parens censitus sit <sup>1)</sup>. Movetur nunc quaestio, cui tributo obnoxii fuerint quod nomen eis dare posset. Plerumque creditur tributum capitis hic cogitandum esse <sup>2)</sup>, sed ut infra videbimus hoc a colonis ad unum omnibus conferebatur <sup>3)</sup>. Attamen hoc unicum est tributum, cui ipsi per se obnoxii sunt, praeter scilicet eos qui juxta agrum conductum propria possessione fruuntur; hi dicuntur „*conscripti libris censualibus*“ <sup>4)</sup>. *Adscripticii*, sic expectas, ii erunt qui juxta aliud quid inscripti sunt; atque haec suspicio confirmatur quum semel legimus „*alienis censibus adscriptos*“ vocari <sup>5)</sup>. Alios illos autem, in quorum census albo sunt adscripti, necesse est fuisse eorum dominos. Exemplum habemus in albo quodam census oppidi Therae, quod laudat LEO <sup>6)</sup>. „Die Anordnung derselben ist die folgende: Zunächst steht der Name des Eigenthümers verzeichnet, dem die Begüterung (*δεσποτία* = possessio) gehört; sodann werden die einzelnen Grundstücke (*χωρία* = fundi) aufgezählt, aus denen sich die Despotia zusammensetzt und zwar ein jedes unter gleichzeitiger Angabe nach jugera bezw. Anzahl, wie Ackerland (*γῆς*), Rebland (*ἀμπέλου*) und wie viele Oelbäume dazu gehören; zum Schlusz kommt endlich das lebende Inventar der ganzen *δεσποτία*; die Esel, das Klein-

<sup>1)</sup> L. 13. C. J. XI. 48. Definimus, ut inter inquilinos colonosve . . . suscepti liberi vel utroque vel neutro parente censito statum paternae condicionis agnoscant. — Pro titulo C. J. XI. 48. qui apud Kruegerum sonat: de agricolis censitis vel colonis, praestat cum antiquis editionibus legere: de agricolis et censitis et colonis. — L. 2. C. J. XI. 50. loquitur de „colonis censibus *dumtaxat* adscriptis“.

<sup>2)</sup> Etiam WEBER. Die röm. Agrargesch. p. 258.: Die Kopfsteuerpflicht scheint für die provinzialen Colonen allgemein bestehen geblieben zu sein, sie heißen hiernach censiti.

<sup>3)</sup> Fuerunt etiam servi censibus adscripti (L. 2. C. Th. XI. 3; L. 3. C. Th. VII. 1.) vel censiti (L. 7. C. J. XI. 48.), attamen servi non pendunt tributum capitis, uti demonstravit ZACHARIAE VON LINGENTHAL. Zur Kenntniss des römischen Steuerwesens in der Kaiserzeit (Mémoires de l'Académie impériale des sciences de St. Pétersbourg. VII série, tome 6. N°. 9. 1863. p. 5 sqq. laudatum a LEO p. 12.

<sup>4)</sup> L. 4. C. J. XI. 48.

<sup>5)</sup> L. 3. C. Th. V. 4.

<sup>6)</sup> Die capitatio plebeja und die capitatio humana, p. 98.

vieh und zuletzt dann auch noch die Colonen gleichfalls unter Bezeichnung von Namen und Alter so wie unter Angabe der *χαρῖα*, welche sie auf der *δεσποτία* bewohnen <sup>1)</sup>, und des Viehs, welches sie bei sich haben." Juxta igitur pecus et servos coloni hic memorantur, *pro quibus* tributa solvenda sunt. Hi non erunt ii, qui in L. 19. C. J. XI. 48. vocantur „*libericum rebus suis*," non enim solvere quis debet pro iis quae non possidet; ii autem erunt, quorum peculium in eadem constitutione et in Nov. Just. CLXII. cap. 2 dicitur esse dominorum, i. e. adscripticii. Adscripticii igitur sunt atque appellantur ii coloni qui, quoniam peculium dominorum est, in horum albo censuali, juxta alias res, *adscripti* sunt. Itaque non tales sunt, qui ipsi tributa solvunt, sed *pro quibus* haec solvuntur.

3. Tertium est discrimen, sed multo minoris ponderis, matrimonia inter adscripticios et mulieres liberas interdum vetita fuisse <sup>2)</sup>, quamquam hujusmodi interdictum quod de aliis colonis valuerit nusquam mentio fit. Supra autem jam animadvertimus illud interdictum, ut ex multis constitutionibus de condicione liberorum qui ex hujusmodi matrimoniis erant nati apparet, vix semper servatum esse. Notatu etiam dignum est apud adscripticios quoque de matrimonio eorum sermonem esse <sup>3)</sup>, quod ut notum est servis non erat permissum.

4. Postremo loco illud discrimen observari potest adscripticios licentiam non habuisse ut domini nomen deferrent <sup>4)</sup>, praeterquam si aut merces eorum contra jus auferretur aut in causa publica eum accusarent <sup>5)</sup>; tale interdictum quantum scimus

<sup>1)</sup> Vidimus jam colonos non ad totum latifundium pertinere, sed ad partem ejus, ad certum quoddam praedium; cf. L. 7. C. J. XI. 48; Nov. Val. XXXIV. § 18; L. 13. § 1. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> Nov. Just. XXII. cap. 17. Adscripticio autem alieno nubere liberam non licet neque ignorante neque sciente neque consentiente possessore.

<sup>3)</sup> Nov. Just. XXII. cap. 17. Nov. Just. CLXII. cap. 2.

<sup>4)</sup> Alios quidem reos facere potuerunt (vide, p. 74 sqq.). quo rursus valde differunt a servis. (L. 6. C. J. III. 1. Servus in judicio interesse non potest.)

<sup>5)</sup> L. 2. C. J. XI. 50. . . . Quominus est ferendum, ut (sc. censibus dumtaxat adscripti) eos audeant lite pulsare, a quibus ipsos utpote a dominis una cum possessionibus distrahi posse dubium non est. Quam de cetero licentiam submovemus, ne quis audeat domini in judicio nomen lacessere, et cujus ipsi sunt, ejusdem omnia sua esse cognoscant. Cum enim sae-

de aliis colonis non valuit; immo traditum est eos cum domino de agri cujusdam dominio litem habere potuisse <sup>1) 2)</sup>).

Ex his omnibus apparet adscripticios multo propius ad servos accedere quam colonos ordinarios, quo fit ut his opponantur qui dicuntur liberi. Semel eorum liberi „servilis partus” vocatur <sup>3)</sup>. Accuratus alibi audit: „paene est ut *quadam* servitute dediti videantur” <sup>4)</sup>. Et Justinianus exclamat: „quae etenim differentia inter servos et adscripticios intellegetur, cum uterque in domini sui positus est potestate, et possit servum cum peculio manumittere et adscripticium cum terra suo dominio expellere?” <sup>5)</sup> Ex qua exclamatione tamen simul patet adscripticios non eosdem esse ac servos. Fortasse optime eorum conditionem designare possumus quum dicimus eos liberos esse ab his, quibus subjecti non sint per tributa, sed obnoxios eis, quibus per annuas functiones dediti sunt <sup>6)</sup>.

pissime decretum sit, ne quid de peculio suo cuiquam colonorum ignorante domino praedii aut vendere aut alio modo alienare liceret, quemadmodum contra ejus personam aequo poterit consistere jure, quem nec propria quidem leges sui juris habere voluerunt, et acquirendi tantum, non etiam transferendi potestate permissa, domino et acquirere et habere voluerunt? Sed ut in causis civilibus hujusmodi hominum generi adversus dominos vel patronos et aditum intercludimus et vocem negamus exceptis superexactionibus, in quibus retro principes facultatem eis super hoc interpellandi praebuerunt, ita in criminum accusatione quae publica est non admittitur eis propter suam suorumque injuriam experiendi licentia.

<sup>1)</sup> L. 20. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> ROBERTUS etiam plura discrimina enumerat; opinioni suae convenienter adscripticios dominum, colonos autem dominum fundi habuisse, (vid. p. 53. adn. 2.) enarrat (l. l. pag. 254) primos, si aufugerant, dominis suis, postremos autem fundis suis reddi solitos esse. Jam vidimus illam opinionem non recte sese habere; neque recte putavit adscripticium tamquam se ipsum furatum punitum esse, colonum contra ad originem tantum deductum. In L. 6. § 9. C. J. I. 12. „sese furandi” enuntiatum tam de servis et adscripticiis quam de colonis usurpatur et L. 1. C. J. XI. 53. etiam colonis („qui inserviebant terris non tributario nexu sed nomine et titulo colonorum”) vincula et poenas minatur, ut L. 1. C. Th. V. 9. ferrum et lignum.

<sup>3)</sup> Nov. Just. LIV. praef.

<sup>4)</sup> L. 2. C. J. XI. 50.

<sup>5)</sup> L. 21. § 1. C. J. XI. 48.

<sup>6)</sup> L. 2 C. J. XI. 50. Coloni censibus dumtaxat adscripti, sicuti ab his liberi sunt, quibus eos tributa subjectos non faciunt, ita his, quibus annuis functionibus et debito condicionis obnoxii sunt, paene est ut quadam servitute dediti videantur.



Saepe adscripticii una cum servis memorantur <sup>1)</sup>, saepe autem juxta colonos <sup>2)</sup> vel inter utrosque <sup>3)</sup>; ex hac quoque re apparet eos medium locum inter colonos et servos obtinuisse. Semel mentio fit variaram condicionum colonorum <sup>4)</sup>: sine dubio adscripticii deterioris condicionis erant de qua loquitur L. 23. § 1. C.J. XI. 48. <sup>5)</sup>.—

DE TRIBUTARIIS. Secundum communem fere opinionem tributariis pariter atque adscripticiis coloni ad unum omnes significantur; nomen suum ab eo accepisse putantur, quod tributo capitis obnoxii essent <sup>6)</sup>. Quod nomen ut explicant, monent omnium ordinum quibus tributum capitis pendendum erat, colonorum omnium maximum fuisse <sup>7)</sup>, praesertim ex quo plebs urbana immunis esset facta <sup>8)</sup>. Ipsa vox de significatione sua nihil docet, quippe quod plerumque in universum eum indicet qui tributo cuidam obnoxius est <sup>9)</sup>. Quod tributum autem cogi-

<sup>1)</sup> L. 1. C. J. VIII. 51; L. 1. C. J. XI. 69; Nov. Just. CXXIII. cap. 4.

<sup>2)</sup> Ll. 6, 19, 23. C. J. XI. 48; Nov. Just. CXXVIII. cap. 14.

<sup>3)</sup> L. 6. § 9. C. J. I. 12; L. 3. C. J. VIII. 51; L. 11. C. J. III. 38.

<sup>4)</sup> L. 20. C. J. XI. 48... si quando coloni cujuscumque condicionis...

<sup>5)</sup> „Cum autem Anastasiana lex homines, qui per triginta annos colonaria detenti sunt, condicione voluit liberos quidem permanere, non autem habere facultatem terra derelicta in alia loca migrare, et ex hoc quaerebatur, si etiam liberi eorum cujuscumque sexus, licet non triginta annos fecerint in fundis vel vicis, deberent colonariae esse condicionis an tantummodo genitor eorum, qui per triginta annos hujusmodi condicionis illigatus est: sancimus liberos colonorum esse quidem in perpetuum secundum praefatam legem liberos et nulla *deteriore condicione* praegravari non autem habere licentiam relicto suo rure in aliud migrare, sed semper terrae inhaereant, quam semel colendam patres eorum susceperunt.” — Cf. Pragmaticum Tiberii Augusti, supra laudatum p. 22.

<sup>6)</sup> FUSTEL DE COULANGES, p. 100. On les appelle de même tributarii, parce qu'ils payent le tributum par tête

<sup>7)</sup> SAVIGNY. Ueber den Römischen Colonat. Vermischte Schriften. II. pp. 32, 33.

<sup>8)</sup> Primus sub Diocletiano, dein denuo sub Constantino. L. 2. C. Th. XIII. 10. Plebs urbana, sicut in orientalibus quoque provinciis observatur, minime in censibus pro capitatione sua conveniatur, sed juxta hanc jussionem nostram immunis habeatur, sicuti etiam sub domino et parente nostro Diocletiano seniore A. eadem plebs urbana immunis fuerat.

<sup>9)</sup> Nov. Just. CXXVIII. cap. 15. Eos autem, qui publica tributa exigunt, justis ponderibus et mensuris uti praecipimus, ut neque in hoc nostros tributarios laedant. — Salvianus. De gubern. dei. V. 8. 35. Si quando enim, ut nuper factum est, consulendum defectis urbibus aut minuendo in aliquo

tandum sit, patet ex L. 1. C.J. XI. 52. „Per universam dioecsim Thraciarum sublato in perpetuum *humanae capitationis censu* jugatio tantum terrena solvatur. Et ne forte colonis *tributariae sortis nexibus absolutis* vagandi et quo libuerit recedendi facultas permissa videatur, ipsi quidem originario jure teneantur, et licet condicione videantur ingenui, servi tamen terrae ipsius cui nati sunt aestimentur nec recedendi quo velint aut permutandi loca habeant facultatem, sed possessor eorum jure utatur et patroni sollicitudine et domini postestate.” Capitatio humana sublata igitur tributariae sortis nexu quoque solvitur colonus; itaque tributum, ex quo nomen trahunt, capitatio humana debet esse. Plerumque autem creditur hanc eandem fuisse ac capitationem plebejam, i.e. tributum capitis. Cui tamen opinioni multa obstare videbimus <sup>1)</sup>).

1. Tributum capitis, ut notum est, a colonis, jugatio autem terrena, ut ex ipsa rei natura apparet, a possessoribus solvenda est. Agit autem lex quam laudavi evidenter de tributis tantum possessorum; non in universum spectare ad tributa Thraciae patet ex addito illo: „jugatio tantum terrena solvatur”, etenim eis, qui non possessores erant, etiam capitatione humana sublata alia tributa supererant. Valde igitur mirum se haberet si in lege ad possessores pertinente statueretur ut tributum capitis *colonorum* aboleretur, atque ita *tantum* jugatio terrena *possessorum* maneret.

2. Anno 371 Valentinianus, Valens, Gratianus colonatum in Illyricum introduxerunt, quod fiebat hisce verbis <sup>2)</sup>): „Colonos

---

tributarias functiones potestates summae existimaverint, ilico remedium cunctis datum soli inter se divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? quis ad communionem beneficii humilis et egestuosus vocat? quis eum, qui primus est semper in sarcina, vel ultimo loco esse patitur in medela? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, nisi cum iis tributi cumulus imponitur; extra numerum tributariorum sunt cum remedia dividuntur.

<sup>1)</sup> In disputatione quae sequitur de quaestione difficillima, ea tantum attigi, quae ad nostram rem pertinent. In universum de discrimine inter cap. hum. et cap. pleb. egregie scripsit LEO (Die cap. hum. und cap. pleb.), ex cujus libro multa lucratus sum.

<sup>2)</sup> L. 1. C. J. XI. 53.

inquilinosque per Illyricum vicinasque regiones abeundi rure, in quo eos originis agnationisque merito certum est immorari, licentiam habere non posse censemus. Inserviant terris *non tributario nexu*, sed nomine et titulo colonorum." Hi coloni utpote quae esset plebs rustica, tributum capitis solvebant. Num autem verisimile videtur eodem tempore, quo colonatus introduceretur, qui quidem et alia spectabat et ut res publica certum numerum vectigalium haberet, colonos hoc tributo exemptos fuisse? Num praeterea facile quis credat abolitionem capitis tributi tam ambigua atque obliqua ratione factam fuisse?

3. In L. 8. C. J. XI. 48. sermo est de tributis colonorum. Lex, quatenus huc facit, hujusmodi est: „Omnes profugi in alieno latebras collocantes cum emolumentis tributariis, salva tamen moderatione, revocentur, scilicet ut si, apud quos homines reperiuntur, alienos esse noverant fugitivos et profugis in lucrum suum usi sunt, hoc est sive excoluerunt agros fructibus dominis profuturos, sive aliqua ab isdem sibi injuncta novaverunt nec mercedem laboris debitam consecuti sunt, ab illis tributa quae publicis perierunt functionibus exigantur." Itaque detentator coloni fugitivi cum hunc reddere tum tributa restituere debebat quae fisco perierant. Fieri autem non potest ut haec tributa fuerint tributum capitis; etenim ubicunque aut apud quemcumque dominum fugitivus moratur, usque quoque tributum capitisolvere debet et ejus fuga respublica nullo modo detrimentum tributi capere potest.

4. Ex ea lege, ex qua haec disputatio ducebatur, (L. 1. C. J. XI. 52) apparet capitationem humanam quasi vinculum ponere inter colonum et dominum, sermo est de „fortis tributariae nexu" quo rupto tamen colonatus non finitur. Sed ipsum tributum capitis unicum est tributum quod coloni (quatenus non terram possident) ipsi per se fisco solvebant; in hoc dominis nihil rei erat cum colonis. —

Tale vinculum — et videntur hac re omnes difficultates enodari posse — extat sane inter dominos et adscripticios, eos scilicet colonos qui cum peculio in potestate sunt dominorum, et juxta pecus et servos in horum libro censuali sunt adscripti;

*pro quibus* igitur capitatio humana solvitur juxta capitationem animalium, conjunctim dictae: capitatio animarum <sup>1)</sup>).

Si hujus opinionis periculum facimus ita ut exploremus num eae difficultates, quas recensui, tollantur, re vera id ita esse comperiemus.

1. Capitatio humana, si ita explicatur, tributum est possessoris pariter ac jugatio terrena, atque igitur jure simul cum hac memorari potest.

2. Id quod L. 1. C. J. XI. 53. propositum habet hoc modo omnino patet. Statuit enim ut coloni Illyrici posthac originarii sint, solo quidem ligati, non tamen in deteriore condicione adscripticiorum, sed ordinariorum liberorum colonorum. Eodem modo adscripticios et colonos saepissime inter se opponi supra vidimus <sup>2)</sup>).

3. Quodsi tributum, ad quod spectat L. 8. C. J. XI. 48. capitatio humana est eo sensu quem indicavi, et eam ob causam tributum est domini, tum re vera res publica detrimentum capit coloni fuga; terra enim inculta remanebat, et pro terra inculta non facile tributum exigi poterat <sup>3)</sup>).

4. Capitatio humana, si tributum est dominorum, a dominis pro colonis suis adscripticiis solutum, re vera nexum facit inter utrosque, et ut in L. 1. C. J. XI. 52. sermo est de „fortis tributariae nexu”, ita legimus in L. 36. C. J. I. 3. de „adscripticiae condicionis nexu”; adscripticii autem iis tantum obnoxii sunt, quibus tributa eos subjectos faciunt <sup>4)</sup>). Habetur autem ipsa inscriptio in domini libro censuali documentum adscripticiae condicionis; supra vidimus ad id solam confessionem non sufficere

---

<sup>1)</sup> Leo, l. 1. p. 83. — Tributarium praeter eum, qui tributa penderè debet, etiam significare posse eum, sive id, pro quo tributa penduntur, patet ex enuntiato „agri tributarii”: ut Frontinus, de controversiis agrorum, I. pag. 85 (Lachmann)... per Italiam ubi nullus ager est tributarius, sed aut colonicus aut municipalis aut alicujus castelli aut conciliabuli aut saltus privati.

<sup>2)</sup> pag. 33.

<sup>3)</sup> cf. FUSTEL DE COULANGES. Le colonat romain. Recherches sur quelques problèmes d'histoire. p. 78.

<sup>4)</sup> L. 2. C. J. XI. 50.

neque ullam scripturam, nisi accedit „publici census adscriptio”<sup>1)</sup>. Hoc modo igitur intellegi potest, capitatione humana sublata atque una cum ea census adscripticione, omnem nexum cum domino rumpi videri posse, ita ut necessarium fiat praeceptum addere: „tamen originario jure teneantur.” Ut liberi agricolae coloni redduntur addito illo: „sine fortis tributariae sive adscripticiae nexu” (L. 1. C. J. XI. 53), ita nunc adscripticii coloni ordinarii fiunt addito illo: sed tamen originarii remaneant.

Procul dubio igitur tributarii non omnes coloni intellegendi sunt, sed iidem ac adscripticii<sup>2)</sup>. Quae opinio non paulum eo fulciri mihi videtur, quod, quamquam saepissime cum adscripticium tributarii juxta colonos nominantur, prorsus nunquam adscripticios juxta tributarios.

Si igitur totam disputationem de diversis generibus colonorum comprehendimus hoc fere modo concludere possumus:

Coloni, etiam postquam adhaerentia lege sancta est, dicuntur et minores possessores, et liberi conductores, et agricolae adhaerentes; fere semper autem postremo sensu vox adhibetur.

<sup>1)</sup> L. 22. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> Prorsus alio modo censet WEBER (Die Röm. Agrargesch. p. 265), „...die Steuerhaftung der Dekurionen führte dazu, dass man die städtischen Territorien vielfach in Despotien zerlegte, diesen Despotien die kleineren Eigentümer zuschlug und von jedem der Dekurionen die Steuern seiner Despotie, also diejenige von seinem unter eigener Wirtschaft befindlichen Land, von den zugeschlagenen Kleinbesitzern und den Colonen erhob, und damit die zur Despotie gehörigen Steuerpflichtigen thatsächlich mediatisierte. Die tributarii sind dieser Stand der Hintersassen von Possessoren.” Explicatio illa nititur L. 2. C. Th. XI. 7: Unusquisque decurio pro ea portione conveniatur, in qua vel ipse vel colonus vel tributarius ejus convenitur et colligit; neque omnino pro alio decurione vel territorio conveniatur. Id enim prohibitum esse manifestum est et observandum deinceps, quo juxta hanc nostram provisionem nullus pro alio patiatu injuriam. — Tributarios autem non „kleine Eigentümer” fuisse patet ex L. 12. C. J. XI. 48. ubi eorum domini mentio fit et nominantur inter servos et inquilinos: „Servos vel tributarios vel inquilinos apud dominos volumus remanere.” Conferri imprimis potest L. 3. C. J. XI. 54. ubi decernitur de dominio liberorum tributariorum: „Si cujuslibet tributarius junxerit sibi tributariam uxorem. vel e contrario si cujuslibet ancilla servo se junxerit alieno, tam tributarii quam servi filios matrum sequi condicionem earumque more genitricum suarum dominis subditos esse censemus”.

Originarii coloni sunt adhaerentes, juri colonatus obnoxii et origini suae adstricti.

Inquilini ii coloni fuerunt fortasse, qui in praedio quidem opus rusticum quoddam praestabant, sed extra saltum habitabant; pariter ac coloni originarii esse possunt.

Adscripticii sive tributarii ii coloni aut inquilini sunt quorum peculium in postestate est dominorum et qui idcirco in dominorum libro censuali sunt adscripti, utpote pro quibus domini tributa solvant.

DE COLONIS PRIVATIS ET COLONIS REI PRIVATAE.  
Possunt coloni etiam alio modo distingui praeterquam secundum condiciones. Sunt enim pauca discrimina animadvertenda inter colonos, qui in praediis privatorum, et qui in agris imperatorii sive fiscalibus opus praestant. Hi autem prout in re privata, in fundis patrimonialibus aut praediis domus divinae habitant, coloni rei privatae, patrimoniales aut domini appellantur<sup>1)</sup>, quos multis partibus beneficiis ornatos fuisse apparet. Privilegia habebant, quae tanti aestimabantur, ut curiales ad potienda ea atque simul quo facilius munera condicionis suae detrectarent, saepissime conarentur praeter dominium suum privatum etiam partem agri fiscalis colendam accipere. Quod ut prohiberent, Constantius et Constans statuerunt, ut supra jam vidimus, ut qui ipse plus quam XXV jugera possideret et insuper agrum fiscalem conductum haberet, nihilo secius ad curiae munera repeti posset<sup>2)</sup>. Qualia fuerint haec privilegia alibi apparet: immunes erant descriptionis et func-

<sup>1)</sup> Nostra non interest quibus rebus tria genera saltuum imperatoriorum inter se differant. Res privata bona erant imperii (kroondomein), fundi patrimoniales possessiones privatae imperatoris regnantis vel familiae imperatoriae, praedia domus divinae destinata erant ut impendia imperatorii apparatus sustinerent (civiele lijst). Cf. His. Die Domänen der römischen Kaiserzeit. p. 27. sqq. Contra quem HIRSCHFELD, Die Verwaltungsbeamten. p. 21.

<sup>2)</sup> L. 33. C. Th. XII. 1. Quoniam sublimitas tua suggessit, multos declinantes obsequia machinari, ut privilegia rei privatae nostrae colonatus jure sectantes curialium nominationes declinent, sancimus, ut, quicumque ultra viginti quinque jugera privato dominio possidens amplio rem ex re privata nostra jugerationis modum cultura et sollicitudine propria gubernaverit, omni privilegiorum vel originis vel cujuslibet excusationis alterius frustratione summota, curiali consortio vindicetur.

tionum extraordinariorum<sup>1)</sup>, sordidorum et extraordinariorum munerum vel superindictionum<sup>2)</sup>. Extraordinaria autem munera, sive extraordinariae functiones sive superindictiones addita-  
menta sunt tributorum, „si inexcusabilis necessitas quiddam novum exigat nec dilationem publica utilitas patiat<sup>3)</sup>,” ab ipso imperatore „indictae”. Munerum sordidorum numero habebantur — non viarum publicarum et pontium cura<sup>4)</sup> — sed<sup>5)</sup>:

1. calcis excoquendae obsequium;
2. capitularia seu temonaria functio;
3. carbonis praebitio;
4. legatis atque allectis sumptuum collatio;
5. materia, lignum, tabulata;
6. operarum et artificum diversorum;
7. paraveredorum et parangariarum praebitio;
8. pollinis conficiendi cura;
9. panis excoctio;
10. pistrini obsequium.

Etiam coloni privati non ad onera extraordinaria vocare licuit si sationibus vel colligendis frugibus occupati erant<sup>6)</sup>.

Porro in praediis rei privatae non semper tirones ipsos „in corporibus” praestare necessarium erat, certo pretio eam praestationem redimere poterant<sup>7)</sup>. Postremo loco aliquot discrimina

<sup>1)</sup> L. 5. C. J. XI. 68. Dominicos colonos neque ad descriptionem patimur devocari neque extraordinarias pati functiones, maxime cum adversus consuetudinem memoratis onera dicantur inferri.

<sup>2)</sup> L. 1. C. J. XI. 75. Privatas possessiones nostras ab universis muneribus sordidis placet esse immunes, neque earum conductores nec colonos vel ad extraordinaria munera vel superindictiones aliquas conveniri.

<sup>3)</sup> L. 7. C. Th. XI. 16.

<sup>4)</sup> L. 4. C. J. XI. 75. Absit, ut nos instructionem viae publicae et pontium stratarumque opera titulis magnorum principum dedicata inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationesque itinerum pontiumque nullum genus hominum nulliusque dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet. Domos etiam divinas tam laudabili titulo libenter adscribimus.

<sup>5)</sup> Enumerata sunt a Gothofredo in Paratitlo ad C. Th. XI. 16.

<sup>6)</sup> L. 1. C. J. XI. 48. Numquam sationibus vel colligendis frugibus insistentis agricola ad extraordinaria onera trahatur, cum providentiae sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere. Cf. L. 4. C. Th. XI. 16.

<sup>7)</sup> L. 3. C. J. XI. 75. Pro tironibus in corporibus postulatis pretia conferri ex fundis perpetuariis nostrae rei privatae praecipimus.

parvi momenti commemoranda sunt; oportebat detentatores fugitivi coloni privati 6 uncias solvere, coloni autem rei privatae libram auri <sup>1)</sup>; Zenoni placuit ut liberi colonorum privatorum et Tamiacorum semper coloni dominici essent, quod ab solitis statutis abhorrebat <sup>2)</sup>. Colonos rei privatae, quatenus idonei essent ad opus rusticum, non ad ratiocinia gerenda adhiberi oportere <sup>3)</sup>, praescriptum hujusmodi est quale omnino extra jus publicum cadit; talia quin in unaquaque lege saltus extiterint vix dubitandum est.

Aliquoties in legibus statuta occurrunt quae ipsis verbis dicuntur ad utrumque genus colonorum pariter pertinere. Ita iudex provinciarum jubetur in colonos rei privatae isdem poenis animadvertere ac in ceteros: carcere, tormentis, gladio <sup>4)</sup>. Si colonus aliquamdiu curiae, collegio, burgo sive alio cuidam corpori obnoxius fuit, neque a re dominica neque actione privata eum repeti licet <sup>5)</sup>. Colonis nulla lustralis collatio solvenda est, si ea tantum vendunt, quae in ipsorum agris gigni solent: id quoque de utroque genere valet <sup>6)</sup> <sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> L. 2. C. Th. V. 9; L. 2. C. J. XI. 64.

<sup>2)</sup> Vide pag. 15.

<sup>3)</sup> L. 2. C. J. XI. 68. Colonos nostros, qui sunt privati vel ad ratiocinia gerenda vel ad colendos agros idonei, retrahi jubemus ac tantum colendis nostris rebus addici, quin etiam in posterum observari, nequis eorum rem privatam cujusquam gerendam aut aliquid ministrandum suscipiat.

<sup>4)</sup> L. 1. C. Th. II. 1. Iudices provinciarum volumus vim debitae auctoritatis assumere, ut una actores ceterosque rei privatae nostrae, quae provinciales, teneat disciplina. Sceleratos convictosque carceres teneant, tormenta dilacerent, gladius ultor interimat. Eo enim modo licentia inveteratae desperationis inhibetur, si intelligant, uno sibi ac pari studio vivendum esse cum ceteris.

<sup>5)</sup> L. 2. C. Th. XII. 19. Actiones publicas privatasque non eadem ratione concludimus, siquidem statui publico impensius providendum est. Eum igitur, qui curiae vel collegio vel burgis ceterisque corporibus intra eandem provinciam post triginta annos, in alia quadraginta sine interpellatione servierit, neque res dominica, neque actio privata continget, si colonatus quis aut iniquinatus quaestionem movere tentaverit.

<sup>6)</sup> L. 10. C. Th. XIII. 1. Colonos rei privatae vel ceteros rusticanos pro speciebus, quae in eorum agris gigni solent, inquietari non oportet.

<sup>7)</sup> Cf. etiam L. 10. § 1. C. Th. VII. 8. Primo igitur omnium ad nullum praedium per Africam vel publicum vel privatum domus nostrae vel cujus cunque juris, ullus mensor accedat, si a quoquam fuerit destinatus.



DE TRIBUTIS ET REDITIBUS COLONORUM. Postquam discrimina inter colonos secundum condiciones et dominos explanavi, rursus redire lubet ad inquisitionem in ipsam condicionem eorum, atque tum primum agendum est de eis quae fisco pendunt ac domino, tributa dico et mercedem.

Extabant in imperio romano post Diocletiani tempora tria genera tributorum: negotiatorum collatio (handelsbelasting), tributum capitis, et varia tributa rei familiaris (vermogensbelasting), in quibus praesertim jugatio sive capitatio animarum.

Negotiatorum collationis<sup>1)</sup>, ut supra vidimus, coloni immunes erant, quatenus quidem fructus tantum propriae possessionis divendebant<sup>2)</sup>. Sin autem emendo et vendendo quaestum facere coeperant atque agriculturam prorsus deseruerant, tributo illi nimirum obnoxii erant<sup>3)</sup>.

Tributum capitis vel capitatio plebeja ab omnibus colonis agnoscebatur; sive cum solita opinione sumas eam, ut ex nomine effici posse videtur, ab omnibus plebejis solutam esse<sup>4)</sup>,

<sup>1)</sup> Aequae ac omnia alia tributa variis vocibus significatur: negotiatorum collatio, lustralis collatio, aurum lustrale, oblatio auri argentique, chrysar-gyrum, functio auraria, pensio auraria, pensitatio. Vide MARQUAEDT. II. pag. 237.

<sup>2)</sup> L. 3. C. Th. XIII. 1. Rusticanos colonosque vestros inter negotiatores describi non oportet, scilicet si nequaquam exercent negotiationis industriam. Si quidem in eo negotiationem et mercimonia non oporteat aestimari, si ea homines vestri ac rusticani etiam in vestris possessionibus distrahant, quae in his terris, quas incolunt, atque in eodem rure gignuntur. — L. 8. C. Th. XIII. 1. Hi tantum ad auri argentique detineantur oblationem, qui merces emendo atque vendendo commutantes, qui in exercitio tabernarum usuque versantur, non etiam coloni rei nostrae, qui ea distrahunt, quae in dominicis possessionibus annus tulerit. — Id quoque valuisse de colonis privatis, apparet ex L. 10. C. Th. XIII. 1.

<sup>3)</sup> L. 10. C. Th. XIII. 1... ut hi tantum, qui pro mercimonio et substantiae mercede ex rusticana plebe inter negotiatores sunt, sortem negotiationis agnoscant, quos in exercendis agris ingenitum jam pridem studium non retinet, sed mercandis distrahendisque rebus institutum vitae et voluntatis implicuit.

<sup>4)</sup> SAVIGNY, Römische Steuerverfassung. Vermischte Schriften. II. pag. 72. In der Regel waren zur Kopfsteuer verpflichtet alle Plebejer, welche nicht schon Grundsteuer bezahlten, und alle, die ihrem Stande nach noch unter den Plebejern standen. Zuerst also machte der bloße Rang frei von der Kopfsteuer, sodasz nur derjenige steuerpflichtig war, welcher in Rang

sive cum viro d. LEO facias eam pendendam fuisse omnibus civibus infra certum quoddam tenue vectigal — utcumque res se habet, coloni in eorum numero sunt, qui tributo capitis sunt obnoxii. Capitationem terrenam profecto ii tantum coloni solvebant, qui praeter agrum conductum etiam alium in dominio habebant<sup>1)</sup>.

Haec tamen non omnia tributa erant colonorum; erant enim quae ipsi pro se, erant autem etiam quae pro dominis solverent. Ea lex quam saepius jam laudavi, Anastasianam volo, de eis qui post XXX annos coloni facti sunt, ita loquitur: „καὶ οὗτοι δὲ ἀναγκάζονται καὶ τὴν γῆν γεωργεῖν καὶ τὸ τέλος παρέχειν”<sup>2)</sup>. Etiam manifestior est L. 20. C. J. XI. 48. in qua ponitur colonum quendam cum domino suo de dominio fundi litigare; praescribit ea lex quomodo agendum sit quamdiu adhuc sub iudice lis sit. Postquam primum omnia ordinavit de rebus, sic pergit (§ 3): „Haec de rebus definiens ad publicas transeamus functiones, et siquidem coloni *more solito* eas dependant, ipsi maneant in pristina consuetudine, nullo praedicio dominis generando, qui et quiescentibus colonis et non contradicentibus ad publicum tributarias functiones minime inferebant. Sin autem moris erat dominos totam summam accipere et ex ea partem quidem in publicas vertere functiones,

unter den Decurionen stand. — Vide etiam ПУЧТА, Institutionen I. p. 341. MADVIG, Die Verfassung und Verwaltung des römischen Staates. 1882. II. p. 445; ZACHARIAE VON LINGENTHAL, l.l. p. 8 et 10.

<sup>1)</sup> L. 4. C. J. XI. 48... Sane quibus terrarum erit quantulacumque possessio, qui in suis conscripti locis proprio nomine libris censualibus detinentur... eos convenit propriae commissos mediocritati annonarias functiones sub solito exactore cognoscere. — Annonariae functiones sive species (L. 15. C. Th. XI. 1.) erant addimentum jugationis terrenaе, sed non ut haec in auro, sed in speciebus solutum pro rata parte cf. SAVIGNY, Röm. Steuerverfassung. p. 7; de discrimine vide etiam KARLOWA, Röm. Rechtsgeschichte p. I. 906.

Nov. Just. CXXVIII. cap. 14. Nullus autem penitus molestetur pro rebus terrarum quas non possidet, sed etiam si contingat agricultores alicui competentes aut adscripticios propriam habere possessionem, illos pro ea publica exigere tributa, domino eorum nullam pro eis molestiam sustinente, nisi forte propria voluntate tali functioni se fecit obnoxium.

<sup>2)</sup> L. 19. C. J. XI. 48... atenim hi quoque et terram colere et tributum solvere coguntur.

partem autem in suos reditus habere, tunc siquidem fidejussor a colonis detur ejusdem fidejussorum dominis sine praejudicio litis tantam summam inferre quantam tributa publica faciunt, ut a dominis publicis rationibus persolvatur: nullo ex hoc colonis praejudicio generando.”

Ex hisce igitur apparet temporibus saltem Justiniani, hujus legis auctoris, solitum fuisse colonos tributa sua cognoscere dominis nihil intermittentibus, nonnumquam autem ea una cum mercede dominis dependere, qui porro fisco ea traderent. Generale illud enuntiatum „publicarum functionum” luculenter demonstrat ad omnia tributa spectari. Valens, qui multis in rebus benevolum se praestitit in colonos, statuit ut eorum functionum allatio tripartita esse posset <sup>1)</sup>.

Nimirum *jure* dominus utpote possessor terrae re vera is est qui tributis obnoxius habetur et a quo fiscus, si non redeunt, rationem repetit <sup>2)</sup>. Idcirco detentator fugitivi tributa, quae ab hujus domino pro terra a colono culta erant pensa, huic restituere debet <sup>3)</sup>.

Quoniam saltus extra solitam descriptionem municipalem erant, tributa exigere non munus erat decurionum; exigebantur a possessoribus sive per eos, deinde statim rectori provinciae tradebantur <sup>4)</sup>. Constitutione quadam Honorii et Arcadii ea potestas senatoribus adempta est; posthac eorum tributa per curiales exigenda erant <sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> L. 11. C. Th. XI. 7. ... Illud etiam moderationi adjecimus, ut tripartita esset illatio fiscalium pensionum.

<sup>2)</sup> L. 25. C. Th. XI. 1. Obsistere commodis publicis et statutis necessitatibus non possunt privilegia dignitatum; unde ut quisque praedii emolumenta consequitur, si non evoluti anni spatio intra sex menses omnem, cui esse constrictus dicitur, reliquorum intulerit cumulum, ad ipsos, qui sunt domini praedii, exactionem volumus pertinere.

<sup>3)</sup> L. 6. § 3. C. Th. XI. 24.; L. 8 et 23. § 5. C. J. XI. 48.

<sup>4)</sup> L. 12. C. Th. XI. 7. Potentiorum possessorum domus officium provinciae rectoris exigere debet, decurio vero personas curialium convenire, minores autem possessores defensor civitatis ad solutionem fiscalium pensionationum spectata fidelitate compellere.

<sup>5)</sup> L. 4. C. Th. VI. 3. Decuit tua sublimitas exactionem tributorum senatus non posse concurrere, adeo ut in nonnullis provinciis senatorii canonis medietas in debitis resideret, atque ideo, ceteris in prioris legis (L. 2. vel

Pro adscripticiis dominus profecto tributa solvere debet, quae tamen ab eis reposcit<sup>1)</sup>; qua propter statutum erat ut adscriptio domino assentiente clericum fieri liceret, dummodo pergeret tributa sua pendere „per ipsum dominum”<sup>2)</sup>.

Praeter tributa fisco debita colonis mercedem quoque dominis conferre oportebat, utrumque, ut supra vidimus, saepissime simul solutum. Vocatur „reditus”<sup>3)</sup> sive „*τελος*”<sup>4)</sup>, tributa autem „publicae functiones”<sup>5)</sup> sive „fiscalia”<sup>6)</sup>, sive ipsa „tributa”<sup>7)</sup>. Temporibus Valentiniani adhuc mos erat ut merces in speciebus conferretur atque eam in iis fructibus quos terra gigneret; pecuniam postulare dominis non licebat nisi consuetudo praedii id exigeret<sup>8)</sup>. In inscriptionibus hi fructus dicuntur „partes agrariae”<sup>9)</sup> vel „partes fructuum”<sup>10)</sup>; eorum summa constituta erat in lege saltus, qualem habemus in lege Hadriana<sup>11)</sup>; in ea sunt partes tertiae. Nonnunquam eis epimetrum sive additamentum centesimae dependendum erat<sup>12)</sup>.

3. C. Th. V. 3.) serie permanentibus, id solum corrigi atque emendari jubemus, ut senatorii fundi non per officia (sc. provinciae rectoris) sed per curiales potius exigantur, ad eosque iterum sollicitudo recurrat.

1) L. 4. C. J. XI. 48. Ii, penes quos fundorum dominia sunt, pro his colonis originalibus, quos in locis isdem censitos esse constabit, vel per se vel per actores proprios recepta compulsionis sollicitudine implenda munia functionis agnoscant.

2) L. 16. C. J. I. 3. Quisquis censibus fuerit adnotatus, invito agri domino ab omni temperet clericatu, adeo ut etiam si... clericus fuerit, sub hac lege religiosum adsumat sacerdotium, ut et capitationis sarcinam per ipsum dominum agnoscere compellatur...

3) L. 20, 23. § 2. C. J. XI. 48.

4) L. 19. C. J. XI. 48.

5) L. 20. C. J. XI. 48.

6) L. 7. C. Th. XI. 1.

7) Passim.

8) L. 5. C. J. XI. 48. Domini praediorum id quod terra praestat accipiant, pecuniam non requirant, quam rustici optare non audent, nisi consuetudo praedii hoc exigat.

9) Commodi decr. Col. III. Hermes XV. p. 388.

10) Lex Hadriana. Col. III. Hermes XXIX. p. 209.

11) De quibus vide SCHULTEN, Hermes XXIX. p. 204.

12) L. 11. C. Th. X. 1. Ut perspicue colonorum utilitatibus consulatur, decima indictione singulas tantum dependant centesimas, qui reditus domui nostrae debitos quotannis juxta consuetudinem arcariis tradunt; ita tamen, ut singularum quoque centesimarum ratio semper evidens scientiae tuae

Aetate autem Justiniani mos videtur fuisse ut merces auro penderetur. In ea lege, quam in alio contextu jam laudavi, eam volo quae praecepit quo modo agendum esset si colonus cum domino suo litigaret de agri dominio, et alia constituta sunt et quo modo merces pendenda esset quamdiu iudicium non esset dictum <sup>1)</sup>: „Sin autem hoc coloni minime facere voluerint vel potuerint (sc. fidejussorem praestare totius summae), tunc idem reditus per officium iudicis annui exigantur per solita tempora, in quae etiam dominis dependebantur, et deponantur in aede sacra, id est in cimeliarchio civitatis, sub qua possessio sita est, vel si localis ecclesia ad susceptionem pecuniarum idonea non sit, in metropolitana ecclesia, ut remaneant cum omni cautela et post plenissimam definitionem vel dominis dentur vel colonis restituantur. Sin autem reditus non in auro, sed in speciebus inferuntur, vel in totum vel ex parte, interim per officium iudicis fructus vendantur et pretia eorum secundum praedictum modum deponantur”.— Ex quo apparet pensiones in speciebus et in pecunia promiscue etiam in eodem praedio pro iisdem colonis extitisse.

A Constantino mercedis summa in perpetuum fixa reddita est; statuit enim ut quilibet colonus, a quo dominus majorem mercedem postularet quam antiquitus solebat, illius nomen deferret, qui, si facti convinceretur, ea quae nimia extorsisset reddere deberet <sup>2)</sup>. Justinianus hoc confirmavit et curam hujus legis tuendae provinciae moderatori mandavit; ceteroquin addidit colonos nihilominus potestate carere rus suum deserendi si digesta referatur; videlicet ut, erogationibus cunctis aperta instructione patefactis, reliquorum ratio ex centesima possit agnosci.

<sup>1)</sup> L. 20. §§ 1, 2. C. J. XI. 48.

<sup>2)</sup> L. 1. C. J. XI. 50. Quisquis colonus plus a domino exigitur, quam ante consueverat et quam in anterioribus temporibus exactus est, adeat iudicem, cujus primum poterit habere praesentiam, et facinus comprobet, ut ille, qui convincitur amplius postulare, quam accipere consueverat, hoc facere in posterum prohibeatur, prius reddito quod superexactione perpetrata noscitur extorsisse. — L. 4. C. J. IV. 62. Si provincialium nostrorum querella de conductorum aviditate extiterit et probatum fuerit ultra vetustam consuetudinem et nostrae terminos jussionis aliquid eos profligasse rei tanti criminis perpetuo exilio puniantur. Sub conspectibus autem tuis vel eorum, qui tuae gravitati succedunt, licitationis cura servetur.

tale quid fieret <sup>1)</sup>. Et quamquam lege erat sanctum ne adscripticii in causis privatis jure agerent cum dominis suis, Arcadius et Honorius disertis verbis causam superexactionis exceperunt <sup>2)</sup>.

Mercede sola autem onera colonorum nondum erant peracta. In maximis illis latifundiis fere ubique cultura agri duobus modis exercebatur <sup>3)</sup>. Pars eorum, villa cum agris adjacentibus a conductore ipso adhibitis servis colebatur. Partem autem denuo locavit colonis. Juxta et supra conductorem erat procurator saltus sive rationalis, qui velut olim villicus „praeerat tam rei rusticae quam rationibus fundi” <sup>4)</sup>, cui cum conductor tum coloni parere debebant utpote domini locum tenenti. Hic autem a colonis etiam postulavit operas (hand-) et juga (spandiensten). De eis fuse agetur infra cap. III; hic tantum animadvertendum est eorum mentionem fieri L. 1. § 1. C. J. XI. 53. in qua statuitur detentatorem coloni fugitivi praeter alia incommoda etiam operas antiquo domino restituere debere <sup>5)</sup>.

DE MILITIA COLONORUM. Coloni utpote homines liberi militiae obnoxii erant, cum aetatem huic constitutam assecuti erant <sup>6)</sup>. Et quandoquidem saltus municipiis erant exempti,

---

<sup>1)</sup> L. 23. § 2. C. J. XI. 48. Caveant autem possessionum domini, in quibus tales coloni constituti sunt, aliquam innovationem vel violentiam eis inferre. Si enim hoc approbatum fuerit et per judicem pronuntiatum, ipse provinciae moderator, in qua aliquid tale fuerit perpetratum, omni modo provideat et laesionem, si qua subsecuta est, eis resarcire et veterem consuetudinem in redivitibus praestandis eis observari: nulla nec tunc licentia concedenda colonis fundum ubi commorantur relinquere.

<sup>2)</sup> L. 2. § 4. C. J. XI. 50. Sed ut in causis hujusmodi hominum generi adversus dominos vel patronos et aditum intercludimus et vocem negamus exceptis superexactionibus, in quibus retro principes facultatem eis super hoc interpellandi praebuerunt, ita...

<sup>3)</sup> WEBER, Römische Agrargeschichte. p. 248, adn. 60.

<sup>4)</sup> L. 31. pr. Dig. XXXIV. 4, laudata a SCHULTEN, p. 75.

<sup>5)</sup> L. 1. § 1. C. J. XI. 53... maneatque eos poena, qui alienum et incognitum recipiendum esse duxerint, tam in redhibitione operarum et damni, quod locis, quae deseruerant factum est, quam... — MOMMSEN (Hermes XV. p. 406) putat dotem de qua loquitur L. 2. C. J. XI. 66. (M. enim legit „cum ea dote” pro „cum eo onere”) etiam ad operas et juga spectare.

<sup>6)</sup> Nov. Val. VI. 1. § 1. Colonus, conductor actorve loci si id aetatis sit, ut stipendia ferre possit, militiae protinus aggregetur.

non curiales sed possessores ipsi eos praebendos curare debebant<sup>1)</sup>. Pauci tantum ab hoc onere immunes erant:

1. Plerumque imperatores. Valentiniano enim placuit ut agri fiscales in iis provinciis in quibus tironum ipsorum praebitio expostulabatur, vacationem haberent; in iis autem ubi pro tironibus pecunia rogabatur, hi quoque pendere debebant<sup>2)</sup>. Arcadius et Honorius statuerunt ut rei privatae semper liceret pecuniam pro tironibus dare<sup>3)</sup>. Quamquam tale beneficium si necessitas id postularet nonnumquam irritum reddebatur, veluti factum est a. 397<sup>4)</sup>.

2. Etiam senatoribus ab Arcadio et Honorio optio erat data utrum mallent tirones an pecuniam praestare<sup>5)</sup>.

3. Postremo tota series magistratuum insignium a tironum praebitione immunes erant facti<sup>6)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Ibidem. Reparandi feliciter exercitus cura conferri debere tirones a possessore censuimus.

<sup>2)</sup> L. 2. C. Th. VII. 13. Domum nostram ad exhibenda tironum corpora per eas provincias, a quibus corpora flagitantur, nolumus perurgeri; ceterum sinimus conveniri, in quibus pretia postulantur, ita ut ex certa praebitione redituum vicem concessionis istius repensemus.

<sup>3)</sup> L. 3. C. J. XI. 75. Pro tironibus in corporibus postulatis pretia conferri ex fundis perpetuariis nostrae rei privatae praecipimus.

<sup>4)</sup> L. 12. C. Th. VII. 13. Publica suasit utilitas juniores in arma conscribere; ideoque ne patrimonium quidem nostrum a praestatione praesenti immune esse patimur. Igitur per omnes provincias, per quas res nostra distenditur, ex patrimonio sacro maturitate, qua convenit, praebere volumus juniores.

<sup>5)</sup> L. 13. C. Th. VII. 13. Amplissimi ordinis petitionibus annuit nostra clementia, ut pro tironibus pretia inferantur. Damus itaque optionem, ut, quod conducibile senatui videtur, eligendi habeat potestatem, id est aut tirones aptos officiis militaribus praestent aut pro singulis viginti quinque solidos numerent, post initam videlicet sumptuum rationem et vestium et pastus. Quod si aurum dare maluerint, mox ad nostrum aerarium deferatur. — L. 14. ibid. Aeternae urbis merita reverendam nobis amplissimi senatus effecit voluntatem. Ideoque pro tironibus in corporibus postulatis pretia conferri jubemus ab amplissimo ordine. Quod in fundis etiam perpetuariis nostrae rei privatae servari praecipimus.

<sup>6)</sup> L. 1. C. Th. XI. 18. Tirones, quorum pretia exhausti aerarii necessitas flagitavit, praebere nolumus illustres viros praefectos, cum gerunt infulas dignitatis, vel cum sublimem egerint praefecturam; non magistrorum militum vel comites domesticorum simile munus adstringat (neque enim tirones de facultatibus eorum poscendi sunt, quorum virtus triumphis nostris subjugat de hoste captivos); non praepositum vel primicerium sacri cubiuli,

Gravissimas poenas ei minatur lex, sive procurator, seu conductor, seu actor seu colonus est, qui in praedio suo latebram praebet desertori neque ultro eum defert <sup>1)</sup>). Si colonus, ut militiam subterfugiat, unum pluresve digitos sibi obtruncavit, concrematur; itemque dominus punitur qui id non prohibuerit <sup>2)</sup>). Rursus etiam cavetur ne quis colonus sive sponte sive ab aliis coactus militiae se offerat extra dilectum <sup>3)</sup>).

Ex hisce omnibus luculenter apparet non colonos ipsos a republica repetitas esse, sed semper possessores eos praebere debuisse — quo magis obnoxia eorum condicio arguitur.

DE JURISDICTIONE INTER COLONOS ET ALIOS COLONOS VEL CIVES. Ex variis constitutionibus patet colonos lege

---

non castrensem, non comitem sacrae vestis, non ceteros cubicularios, non magistrum officiorum, quaestorem vel comites sacri ac privati aerarii illustres, non virum spectabilem primicerium notariorum, non consistorianos comites ac scriniorum magistros vel tribunos et notarios eadem damni mulcta percellet; non viros spectabiles comites archiatrorum, non comites stabuli, cura palatii, scholares, proximos scriniorum, eademque scrinia, comites dispositionum, decuriones, magistrum admissionum et ceteras similes comitum laboribus nostris socias dignitates ejusdem praestationis sors teneat, non tribunos vel praepositos militares post testimonium inveteratae militiae. Habeant in commune omnes, sive dum administrant, seu postquam administraverint, debitum regiae liberalitatis officium; nemo tirones, equos vel praestationem aurariam vereatur, quem sub legis nostrae sanctione prosequimur. Illos tantum tironum atque auri munus adstringat, quos honorarios vocavit antiquitas, vel qui fasces civilium partium consecuti nulla prius laboribus rudimenta posuerunt. De ipsis etiam militaris nominis viris eos praepositos vel tribunos a privilegiis convenit esse alienos, qui castrorum expertes habentur, nec in hostem Martio aere caluerunt.

<sup>1)</sup> L. 21. C. Th. VII. 13. Tempore tironatus eorum procuratores, qui refugas occultandos putaverint, aut non ipsi sponte prodixerint, in iudicio praesententur, ac poenas veluti rebelles ac decretorum temeratores compellantur exsolvere. — Nov. Val. VI. 1. § 1. fin. Quod si nesciente domino desertor in cujuslibet aedibus latuerit, colonum, conductorem actoremve qui id scierit, capitali supplicio esse feriendos.

<sup>2)</sup> L. 5. C. Th. VII. 13. Si quis ad fugienda sacramenta militiae fuerit inventus truncatione digitorum damnum corporis expedisse, et ipse flammis ultricibus concrematur, et dominus ejus, qui non prohibet, gravi condemnatione feriat.

<sup>3)</sup> L. 3. C. J. XII. 33. Cura pervigili observare debet sublimitas tua, ne coloni vel saltuenses aut ultro se offerentes ad militiam suscipiantur armatam aut cogantur inviti. — L. 1. C. J. XII. 43. Nullus tiro vagus aut veteranus aut censibus obnoxius ad militiam accedat. — Lzo (Die cap. hum. p. 96.



saltem ab injuriis defensos esse. Quin etiam ROBERTUS <sup>1)</sup> autumavit eorum ipsorum gratia novum illud munus defensoris civitatis institutum esse, allegans legem quandam ab Valentiniano et Valente promulgatam: „cum multa pro plebe a nobis studiose statuta sint, nihil providisse nos credidimus nisi defensores idoneos dederimus” <sup>2)</sup>. Sed primum defensorum potestas multo latius valebat quam ad plebem tuendam <sup>3)</sup>, dein in legibus quae de colonis agunt nusquam eorum mentio fit.

Jam vidimus colonum, si contra consuetudinem merces augebatur, domini sui nomen deferre potuisse; adire debebant judicem quem facillime consequi poterant; si querela justa apparebat, quod plus esset exactum restitui ac in posterum provideri debebat ne iterum fieret <sup>4)</sup>. Deinde dominum reum facere ei licebat in judiciis publicis <sup>5)</sup>.

Tertio demum loco leges mentionem faciunt certaminis inter dominum et colonum, si inter se litigant de agri cujusdam dominio; quae ratio tum ineunda sit Justinianus fuse exponit in lege quam in adnotatione laudo <sup>6)</sup>.

---

adn. 262) putabat hoc loco censibus illos obnoxios non colonos, esse posse: das gesetzliche Verbot, einen Colonen unter die Soldaten aufzunehmen, würde im Widerspruch mit der Thatsache stehen, dasz gerade die Colonen einen wesentlichen Theil des Heeresersatzes ausmachten. Sed haec lex ad eos tantum spectat, qui *extra dilectum* in militiam irrepere conantur.

<sup>1)</sup> Zur Geschichte e.q.s. p. 247, adn. 35a.

<sup>2)</sup> L. 3. C. Th. I. 29.

<sup>3)</sup> C. H. BAALÉ, Ueber den Defensor civitatis. p. 29–35.

<sup>4)</sup> L. 1. C. J. XI. 50. Quisquis colonus plus a domino exigitur, quam ante consueverat et quam in anterioribus temporibus exactus est, adeat judicem, cujus primum poterit habere praesentiam, et facinus comprobet, ut ille, qui convincitur amplius postulare, quam accipere consueverat, hoc facere in posterum prohibeatur, prius reddito quod superexactione perpetrata noscitur extorsisse.

<sup>5)</sup> L. 2. § 4. fin. C. J. XI. 50... ita in criminum accusatione quae publica est non adimitur eis propter suam suorumque injuriam experiendi licentia.

<sup>6)</sup> L. 20. C. J. XI. 48. Litibus imponentes celeritatem sancimus, si quando coloni cujuscumque condicionis contra dominos terrae declamaverint super hoc ipso dubitantes, utrum is terrae dominus est necne (eos tamen dicimus, qui non ex longo prolixoque tempore vel longinqua et inveterata redituum susceptione sufficientem habent cautelam, in quibus casibus ne contradicendi quidem licentia colonis relinquatur, longi temporis praescriptione vel redituum frequentissima consequentia colonorum impetus exclu-

Pleraque quae tradita sunt de jurisdictione inter colonos pertinent ad possessiones imperatorias et fiscales. Supra demonstratum est has non partem effecisse ullius municipii; stabant igitur extra jurisdictionem municipalem. Jurisdictio inter eos penes magistratus erat et praecipue exercebatur a procuratore, quippe qui imperatoris locum obtineret. Constantinus statuit lites quas coloni dominici et patrimoniales haberent inter se dijudicandas esse rationali summae rei<sup>1)</sup>.

dente): talem esse super reddituum vel publicarum functionum praestatione formam censemus, ut, si tales coloni, quales supra diximus, idoneum fidejussorum totius summae quae ab his dependitur praestiterint, quod omnes redditus sine ulla procrastinatione, si melior causa dominorum judicetur, eis restituent, et talis fidejussor per triennium accipiat eoque impleto iterum renovetur, coloni in medio nullo modo super redditibus a dominis inquietentur. Sin autem hoc coloni minime facere voluerint vel potuerint, tunc idem redditus per officium judicis annui exigantur per solita tempora, in quae etiam dominis dependebantur, et deponantur in aede sacra, id est in cimeliarchio civitatis, sub qua possessio sita est, vel si localis ecclesia ad susceptionem pecuniarum idonea non sit, in metropolitana ecclesia, ut remaneant cum omni cautela et post plenissimam definitionem vel dominis dentur vel colonis restituantur. Sin autem redditus non in auro, sed in speciebus inferuntur, vel in totum vel ex parte, interim per officium judicis fructus vendantur et pretia eorum secundum praedictum modum deponantur. Haec de redditibus definiens ad publicas transeamus functiones. Et si quidem coloni more solito eas dependant, ipsi maneant in pristina consuetudine, nullo praepjudicio dominis generando, qui et quiescentibus colonis et non contradicentibus ad publicum tributarias functiones minime inferrebant. Sin autem moris erat dominos totam summam accipere et ex ea partem quidem in publicas vertere functiones, partem autem in suos redditus habere, tunc, si quidem fidejussor a colonis detur, eundem fidejussorem dominis sine praepjudicio litis tantam summam inferre, quantam tributa publica faciunt, ut a dominis publicis rationibus, persolvatur; nullo ex hoc colonis praepjudicio generando. Super redditibus enim domini fidejussore fiant contenti. Sin autem fidejussione cessante ad sequestrationem res veniat et pecuniae deponantur, ex eorum summa tantam judicis separare, quanta ad publicas sufficiat functiones, et eam disponere dominum accipere, quatenus ipse eam persolvens publicas accipiat securitates: reliqua quantitate, quae in redditus puros remanet, in tuto collocanda et litis terminum expectante: nullo praepjudicio sive colonis sive dominis ex hujusmodi fidejussione vel sequestratione vel publicarum functionum solutione generando: sed omni causa in suspenso manente, donec judicialis sententia, quae de toto negotio procedit, omnem rem aperiat et ostendat, quis dominus terrae constitutus est et ad quem publicarum functionem securitas debet in posterum fieri, seu redditus vel pervenire vel permanere.

<sup>1)</sup> L. 7. C. J. III. 26. ad Bulephorum rationalem summae rei. Dominicis

Sin autem causa publica agitur, colonus rei privatae ante rectorem provinciae ferri debet, ubi causa dicitur inter eum et accusatorem coram rationali vel procuratore <sup>1)</sup>. Magistratus praediorum autem tam imperatoriorum quam privatorum etiam jurisdictionem criminalem sibi vindicavisse ex eo apparet quod Valentiniano necessarium videbatur carceres privatos interdiceret <sup>2)</sup>; quod interdictum a Zenone <sup>3)</sup> et Justiniano <sup>4)</sup> iterari debuit.

Valentinianus et Valens statuerunt ut in causis publicis rationalis colonos accusatos exhibendos curaret <sup>5)</sup>, quo factum est ut ipsos iudicio interesse necessarium non esset. Etiam longius progressi sunt Arcadius et Honorius quum constituerent ut in causis criminalibus actorem dominicum (i. e. procuratorem) non expectarent, sed ipsi nullo interveniente potestatem haberent noxios exhibendi, ne actore repugnante dilatio iudicii fieret <sup>6)</sup>. Probabile est magistratus saltuum omnibus modis potestate sua abusos esse. Si incolae ab actore aut procuratore vexabantur, querelam deferre poterant ad vicarium vel

---

colonis et patrimonialibus gravitatem tuam censuimus disceptatricem esse debere. Duces enim et praepositos limitum et castrorum et rectores provinciarum evocandis et arcessendis colonis abstinere oportet.

<sup>1)</sup> L. 8. C. J. III. 26. Cum aliquid colonus aut servus rei privatae nostrae contra disciplinam publicam adseratur perpetrare, ad iudicium rectoris provinciae venire cogendus est, sic videlicet, ut praesente rationali vel procuratore domus nostrae inter eum et accusatorem causa tractetur et, si facinus fuerit adprobatum, juris severitas exseratur.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. IX. 11. Si quis posthac reum privato carceri destinarit, reus majestatis habeatur.

<sup>3)</sup> L. 1. C. J. IX. 5. Jubemus nemini penitus licere per Alexandrinam splendidissimam civitatem vel Aegyptiacam dioecsin aut quibuslibet imperii nostri provinciis vel in agris suis aut ubicumque domi privati carceris exercere custodiam.

<sup>4)</sup> L. 2. ibid. Ἰδιωτικὰς φυλακὰς πᾶσιν τρόποις ἐν πόλεσι ἢ ἐν κώμῃσι ἀπαγορεύομεν καθίστασθαι. (Privatos arceres omnino in civitatibus vel in vicis constituere vetamus.)

<sup>5)</sup> L. 3. C. Th. X. 4. In negotio criminali per rationalem colonos vel conductores rei privatae nostrae, quorum repraesentatio poscitur, exhibendos esse, sinceritas tua cognoscat; in civili vero causa defensorem domus nostrae adesse debere.

<sup>6)</sup> L. 11. C. Th. II. 1. Minime provinciae rector exspectet in reos criminosos actorem dominicum, sed habeat exhibendis noxiis potestatem: uta-

rectorem provinciae; quae si justa apparuit, is qui sons com-  
pertus erat, ex lege Valentiniani et Valentis, qui maxime  
colonis favisse videntur, publice vivus concremandus erat <sup>1)</sup>.  
Semel statutum invenimus ut, si colonus aliquem reum faciat  
aut alius eum jure persequatur, causa a praeposito sacri cubiculi  
vel comite domorum cognoscatur <sup>2)</sup>; verosimile est iudicium  
mansisse penes praesidem provinciae. Quin huic autem neque  
iudicibus municipalibus iurisdictio inter colonos etiam privatos  
et cives mandata sit, ratione habita ejus rei, quod saltus pri-  
vatorum id petebant, ut cum agris fiscalibus equipararentur,  
imprimis quod attinet ad exemptionem municipiorum, vix  
dubitandum videtur; revera, ut supra vidimus (p. 6.), ei man-  
datum erat, ut colonos fugitivos investigaret atque reduceret.  
Atque eo magis talis suspicio probari videtur lege quadam  
Constantii, ex qua iudicibus (i. e. rectoribus) provinciae adversus  
incolas rei privatae eadem supplicia adhibenda erant ac  
adversus provinciales i. e. colonos privatorum <sup>3)</sup>.

Si colonus ab iudice vel a comite domorum quacumque  
ratione est concussus, hujus nomen, dummodo intra anni  
spatium, deferre potest ad Comitem rei privatae <sup>4)</sup>. Ac postremo

tur legibus nullo interposito rationali. Latebris reus potestate ordinarii  
iudicis protrahatur, ne per colludium actorum iudiciorum fiat dilatio.

<sup>1)</sup> L. 9. C. J. III. 26. ad Philippum vicarium. Universi fiduciam gerant,  
ut, cum quis eorum ab actore rerum privatarum nostrarum sive a pro-  
curatore fuerit vexatus injuriis, super ejus contumeliis vel depraedationibus  
deferre querimoniam sinceritati tuae vel rectori provinciae non dubitet et  
ad publicae sententiae vindictae sine aliqua trepidatione convolare. Quae  
res cum fuerit certis probationibus declarata, sancimus et edicimus, ut, si  
in provinciale hanc audaciam quisquam moliri fuerit ausus, publice vivus  
concremetur.

<sup>2)</sup> L. 11. C. J. III. 26. Artaxi, praeposito sacri cubiculi. Hac lege sancimus,  
ut, sive agat domorum nostrarum colonus aut inquilinus aut servus seu  
pulsetur ab aliquo super criminali vel civili negotio, non alibi quam  
tui culminis ac viri spectabilis comitis domorum petatur examen; nullius  
allegatione super fori praescriptione penitus admittenda.

<sup>3)</sup> L. 1. C. Th. II. 1. Iudices provinciarum volumus vim debitae auc-  
toritatis assumere, ut una actores ceterosque rei privatae nostrae, quae  
provinciales, teneat disciplina. Sceleratos convictosque carceres teneant,  
tormenta dilacerent, gladius ultor interimat.

<sup>4)</sup> L. 6. C. Th. IX. 27. Jubemus, hortamur, ut, si quis forte honoratorum,  
decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum aut cujuslibet ordinis

imperatorem ipsum adire poterat, veluti coloni saltus Burunitani Commodum adierunt.

Nonnullorum scelerum colonorum in legibus singulae poenae enumerantur. Si desertorem adjuvant ut in praedio lateat, ipsi morte puniuntur<sup>1)</sup>. Item si in falsa moneta cudenda ministerium praebuerunt<sup>2)</sup>. Si in sepulcri violatione deprenti sunt, postquam tormentis sunt confessi, capitis condemnantur<sup>3)</sup>. Si haereticis sentiis donatistarum dediti sunt, verberibus a prava religione revocari debent<sup>4)</sup>; si tamen perseverant, peculii tertia parte multantur<sup>5)</sup>.

DE INTERDICTIONE MUNERUM. Coloni vetiti erant ullo munere fungi quod eos ab agris colendis abstraheret: si tamen

---

a iudice fuerit aliqua ratione concussus, si quis scit venalem de jure fuisse sententiam, si quis poenam vel pretio remissam vel vitio cupiditatis ingestam, si quis postremo quacumque de causa improbum iudicem potuerit approbare, is vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum prodeat, crimen deferat, delatum approbet, cum probaverit, et victoriam reportaturus et gloriam. — L. 7. ibid. Severino Comiti R. P. Unusquisque procurator, praepositus gynaeceo, tabularius, susceptor, colonus vel quicumque se a comite domorum meminerit esse concussus, cum ipse, cui pecuniam numeraverit, administratione decesserit, intra anni spatium ad iudicium spectabilitatis tuae, quidquid dederit, repetiturus accurrat, ut prosit pensionibus, quidquid ille reddiderit. Sin vero ex tempore depositae administrationis praestituti temporis curricula transfluxerint, nulla vox advocacionis emergat, sed ipsos procuratores, praepositos, colonos, tabularios, susceptores obnoxios ad solutionem jubemus arctari.

<sup>1)</sup> L. 8. § 1. C. Th. VII. 18. Quodsi procurator possessionis sive actor vel etiam colonus latebram desertori domino ignorante praestiterit, detectus in crimine capitali supplicio mancipetur. — cf. Nov. Val. VI. 1. § 1. fin.

<sup>2)</sup> L. 2. § 4. C. Th. IX. 21. Actor fundi vel servus vel incola vel colonus, qui hoc ministerium (sc. in falsa moneta cudenda) praebuit, cum eo, qui fecit, supplicio capitali plectetur.

<sup>3)</sup> Nov. Val. XXII. § 3. Servos colonosque in hoc facinore (i. e. sepulcri violatione) deprehensos duci protinus ad tormenta conveniet. Si de sua tantum fuerint temeritate confessi, luant commissa sanguine suo: si dominos inter supplicia nullo interrogante nexuerint, pariter puniantur.

<sup>4)</sup> L. 52. § 4. C. Th. XVI. 5. Servos etiam dominorum admonitio vel colonos verberum crebrior ictus a prava religione revocabit, ni malunt ipsi ad praedicta dispendia, etiam si sunt catholici, retineri.

<sup>5)</sup> L. 54. § 8. C. Th. XVI. 5. Servos vero et colonos coercitio ab hujusmodi ausibus severissima vindicabit. Ac si coloni verberibus coacti in proposito perduraverint, tunc tertia peculii sui parte mulctentur.

eo potiti sunt, domino atque praedio restituendi sunt <sup>1)</sup>; neque in militia ad quemquam gradum ascendere licebat <sup>2)</sup>. Praecipue adscripticiis interdictum erat ne apparitores magisteriae potestatis fierent <sup>3)</sup>. Coloni non tabularii (officiales qui in exigendis tributis versabantur) ordinari poterant; sin autem dominus eos sivit chartas publicas agere, ille rationi obnoxius mansit <sup>4)</sup>. Eadem fere statuta invenimus de colonis rei privatae. Hi quoque ad nullum munus adhibendi sunt <sup>5)</sup>; etiam apud hos nullus militiae gradus prohibuit quominus ad solum natale revocarentur <sup>6)</sup>.

QUAM LATE COLONATUS PATUERIT. Ut cognoscamus quam late colonatus patuerit, tantum animadvertendum est ad nomina et munera eorum, ad quos constitutiones de colonis sunt directae, in quo simul in memoriam revocanda est imperii descriptio. Eo fere tempore, quo colonatus ortus est, imperium in quattuor praefecturas erat divisum, quibus singulis singuli

<sup>1)</sup> L. 11. C. J. XI. 48. Originarios colonos nullis privilegiis, nulla dignitate, nulla census auctoritate excusari praecipimus, sed amputatis omnibus, quae aliquotiens per gratiam sunt elicita, domino vel fundo esse reddendos.

<sup>2)</sup> L. 18. C. J. XI. 48. Colonos nulla ratione ad ullum quamvis humilioris militiae locum sinimus admitti.

<sup>3)</sup> *ibid.* Sed nec apparitores magisteriae potestatis censibus adscriptos probari concedimus, quia in hac parte et dominorum juri et publicae consilium honestati. — L. 3. C. J. XII. 54. Probari apparitores magisteriae potestatis neque curiales neque cohortales neque censibus volumus adscriptos. — Vide etiam: Nov. Theod. VII. 4. § 2.

<sup>4)</sup> L. 3. C. J. X. 71. Generali lege sancimus, ut, sive solidis provinciis sive singulis civitatibus necessarii fuerint tabularii, liberi homines ordinentur neque ulli deinceps ad hoc officium patescat aditus, qui sit obnoxius servituti. Sed et si quis dominorum servum suum sive colonum chartas publicas agere permiserit (consensum enim, non ignorantiam volumus obligari), ipsum quidem, in quantum interfuerit publicae utilitati, pro ratiociniis, quae servo sive colono agente tractata sunt, obnoxium attineri, servum autem competentibus adfectum verberibus fisco addici. Dominorum enim interfuit ab initio providere, ne publicis actibus privata servitia immiscerentur.

<sup>5)</sup> L. 1. C. J. XI. 68. Nullus omnino originalis colonus rei privatae nostrae ad aliquos honores vel quaelibet alia civitatis munera devocetur. Nec enim civitatum ordinibus et ceteris, ex quibus pro multitudine fieri nominationes oportet, per omnia florentibus ad haec suprema praesidia injuriosa nominatione descendendum est. — L. 3. C. J. XI. 68.

<sup>6)</sup> Ll. 1. et 3. C. J. XI. 64; L. 1. C. J. VII. 38.

Praefecti Praetorio praeerant <sup>1)</sup>. Extabant autem <sup>2)</sup>:

1. Praef. Praet. Galliarum, sub quo
  - A. vicarius Hispaniae,
  - B. vicarius septem provinciarum (i.a. Galliae, Belgicae, Germaniarum),
  - C. vicarius Britanniarum.
2. Praef. Praet. Italiae, sub quo
  - A. vicarius urbis Romae,
  - B. vicarius Italiae (annonariae),
  - C. vicarius Africae.
3. Praef. Praet. Illyrici, sub quo
  - A. pro consule Achajae,
  - B. vicarius Macedoniae.
4. Praef. Praet. Orientis, sub quo
  - A. comes Orientis (i. a. Palaestinae I et II, Phoeniciae, Syriae),
  - B. praefectus Augustalis (i. a. Libyae, Aegypti),
  - C. vicarius dioeceseos Asianae,
  - D. vicarius Ponticae,
  - E. vicarius Thraciarum.

Ex legibus quarum tituli sunt traditi, hae directae sunt

1. Praefecto Pr. Galliarum: L. 1. C. Th. IV. 23; L. 26. C. Th. XI. 1; Ll. 1 et 2. C. Th. XII. 19; L. 1. C. J. VII. 38; Ll. 8. et 13. C. J. XI. 48.

praesertim vicario Britanniarum: L. 2. C. Th. XI. 7.

2. Praef. Praet. Italiae: L. 11. C. Th. II. 1; L. 2. C. Th. II. 30; L. 1. C. Th. II. 31.

L. 10. C. Th. VII. 8. et multae aliae.

praesertim vicario Italiae: L. 10. C. Th. XIII. 1.

atque inter has consulari Aemiliae: L. 2. C. J. XI. 48.

vicario Africae: L. 3. C. Th. X. 4.

<sup>1)</sup> Quattuor hae praefecturae institutae sunt anno 292 cum imperium divisum est inter Diocletianum, Maximinianum, Constantium et Galerium. Cum Constantinus anno 324 rerum potitus esset hanc divisionem servavit. MARQUARDT I. p. 231.

<sup>2)</sup> MARQUARDT I. 495.

procuratori Africae L. 8. C. Th. XIII. 1; L. 54. C. Th. XVI. 5.

3. Pr. Pr. Illyrici. L. 43. C. J. II. 4.

4. Pr. Pr. Orientis. L. 1. C. Th. V. 3; L. 14. C. Th. XI. 1;

L. 6. C. Th. XI. 24.

praesertim comiti Orientis L. 33. C. Th. XII. 1.

vicario „ L. 1. C. J. XI. 50.

vicario Asiae L. 1. C. Th. V. 11.

comiti „ L. 2. C. J. XI. 50.

Videmus igitur per totum imperium colonatum vulgatum fuisse; ex quo tamen non sequitur eum etiam ubique ab initio extitisse. Scimus enim eum in Palaestinam et Illyricum a Valentiniano demum importatum esse<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> L. 1. C. J. XI. 51; L. 1. C. J. XI. 53.



## C A P U T II.

---

### NUM IIS SAECULIS, QUAE COLONATUI ANTECESSERUNT, UBIQUE IN LOCUM AGRICOLARUM SERVI RUSTICI SUBIERINT.

Haud necessarium videtur multas et varias opiniones, quae de origine juris colonatus deinceps sunt prolatae, in conspectu ponere; primum quia vetustae illae magnam partem aut parvi aut nullius momenti sunt ad hodiernum quaestionis statum intellegendum; praeterea quoniam hujusmodi historia quaestionis jam scripta est, semel, anno 1876, a viro d. HEISTERBERGK <sup>1)</sup>; dein multo fusius a viro d. SEGRÉ, anno 1890 <sup>2)</sup>. Tamen operae pretium est inquirere quo fiat, ut simplici illi ac ipsa veritatis signa prae se ferenti explicationi, secundum quam agricolae antea liberi fuerunt qui deinde juri colonatus obnoxii facti sint, — de hac enim re vix quisquam dubitabit qui leges supra tractatas animo non praeoccupato legit — tot aliae praecesserint partim etiam nunc comprobatae. Praeter alias causas — inter quas imprimis raritas fontium est nominanda — haec potissimum memorari debet: extat enim communis fere opinio per postremum saeculum liberae rei publicae atque prima saecula imperii, eo igitur tempore quo latifundia creverunt et floruerunt, agricolarum ordinem prorsus nullum fuisse. Secundum hanc sententiam, quae viri d. ROBERTI auctoritate maxime nititur, per illud tempus in locum agricolarum culturae laborem servorum substitutum esse perhibent; atque postea demum

---

<sup>1)</sup> B. HEISTERBERGK, Die Entstehung des Colonats. 1876.

<sup>2)</sup> GINO SEGRÉ, Studio sulla origine e sullo sviluppo storico del colonato romano. Archivio Giuridico. 42, 43, 44, 46.

inopia servorum, cum fons eorum invectionis, bellum dico, obturatus esset — vir d. ROBBERTUS hanc commutationem ponit in intervallo inter Plinium majorem et minorem — parvorum agellorum culturam ope colonorum revixisse <sup>1)</sup>. Satis erit paucos locos laudare, ut ostendam ad hujusmodi sententiam imprimis viros oeconomiae disciplinae peritos etiam nunc accedere. Legimus in commentatione viri d. PAUL ERNST: „Der Ruin des Bauernstandes hatte zur Folge, dass sich zunächst Groszgrundbesitz, später dann Latifundien bildeten. Der bäuerliche Oikos verschwindet, und es entwickeln sich immer grözere Oiken. Dem proletarisierten Bauern bleibt keine Existenzmöglichkeit. *Es giebt nur Oikenherren und Sklaven*“ <sup>2)</sup>. V. cl. BÜCHER in egregio illo libro „Die Entstehung der Volkswirtschaft“ scripsit: „Aus der wirtschaftlichen Autonomie des sklavenbesitzenden Hauses erklärt sich die ganze sociale und ein guter Teil der politischen Geschichte des alten Rom. *Es giebt keine produktiven Berufsstände, keine Landwirte, keine Handwerker*. Es gibt nur grosze und kleine Besitzer, Reiche und Arme“ <sup>3)</sup>. Et in nostra patria vir doctus his studiis deditus profitetur: „Op de aldus zich vormende latifundia wordt de arbeid geheel verricht door slaven.“ <sup>4)</sup>.

Jam statim autem quaedam considerari possunt quibus in dubio ponitur num re vera colonorum cultura funditus evanuerit. Parum enim probandum videtur totam plebem rusticam Italiae — ut hoc exemplum sumamus — inde expulsam esse . . . quo tandem ut effugeret? Quae autem quaestio eo magis urget, si tecum reputas industriam in rebus manu faciendis positam eo tempore ita excultam non fuisse, ut idonea esset quae otiosas eas operas exciperet; necesse erat agricolas exturbatos descen-

<sup>1)</sup> ROBBERTUS, Zur Geschichte der agrarischen Entwicklung Roms unter den Kaisern. Jahrbücher für National-ökonomie und Statistik. Band II. 1864.

<sup>2)</sup> Dr. PAUL ERNST, Die sozialen Zustände im römischen Reich vor dem Einfall der Barbaren. Die Neue Zeit. XI. 2. p. 221.

<sup>3)</sup> Dr. KARL BÜCHER, Die Entstehung der Volkswirtschaft. 4e Aufl. 1904. p. 117.

<sup>4)</sup> Prof. M. W. F. TREUB, Hoofdstukken uit de Geschiedenis der Staatshuishoudkunde. 1904. p. 92.

dere ad multitudinem hominum desidiosorum et grassatorum quae magnas urbes implebat, ad infimam populi faecem. Et quamvis magna haec fuisset, tota plebs agrestium tamen multo numerosior erat. — Deinde si per eam aetatem, quam dixi, nullus alius labor praeter servorum adhibitus est, unde tandem postea, eo tempore quo secundum vulgarem opinionem pro hoc servorum labore rursus substituta est cultura parvorum agrorum a colonis exercitata, venit illa copia mortalium, illa materies humana, qua ut hoc fieri posset opus esset? „Niet zelden ook trachtten (de groote landeigenaren) onder deze gewijzigde omstandigheden (spectat ad servorum numeri decessum) stukken van hun grond aan vrije burgers als pachters te verhuren” scripsit v. cl. TREUB <sup>1)</sup>. Sed unde illi liberi cives? Num e plebe urbana? Sed experientia etiam atque etiam docuit hanc ad assiduum laborem rusticum minime idoneam esse. — Postremo loco quoque animadvertendum est, quod profecto per se jam multum valet, totius illius commutationis, qua pro permagnorum agrorum cultura altera ratio exiguos agellos colendi et locandi substituta esse dicitur, in fontibus nostris prorsus nullam mentionem fieri.

Patet inquisitionem in rationem agrorum culturae, quae ante colonatum fuit, faciendam, magni ponderis esse ad hujus originem explanandam. Eos enim, qui negant ante colonatum fuisse ordinem agriculturalium in Italia et qui servorum tantum laborem agnoscunt, necesse est existimare — atque ostendere conari — colonos adhaerentes, quos ex legibus cognovimus, servos esse aut fuisse. Revera haec est sententia ROBERTI, quam brevissime expressa verbis v. cl. BÜCHER: „In Rom verschlingt der Groszgrundbesitz den kleinen und ersetzt den Arm des Bauern durch den des Sklaven, um diesen später in den Kolonen umzuwandlen <sup>2)</sup>”.

Et inter eos quoque, qui post recentiores explorationes perspexerunt jus colonatus liberis agricolis impositum esse, multi inveniuntur qui pergunt servos quasi alteram materiam colo-

---

<sup>1)</sup> l. c. p. 94.

<sup>2)</sup> l. c. p. 122.

natus putare <sup>1)</sup>. Pro certo autem scimus, ut ex copiosa recensione omnium legum quae traditae sunt apparuit, omnes colonos, etiam adscripticios, liberos fuisse. In ea autem quaestione, num servorum manumissio aliqua ex parte cum colonatu cohaereat, duae res saepe sunt conturbatae quas tamen accurate distinguere oportet. Prior haec est: notumne est servos, postquam semel colonorum in modum collocati sint, dein viritim manu missos esse? Nam de manumissione aliqua generali, universa, ad magnum numerum servorum vel hercle ad omnes servos rusticos simul pertinente, quae sine ulla certa forma peracta sit, omnino sermo esse non potest, quamvis illis viris doctis fortasse aliquid ejusmodi animo obversatum fuerit; talis manumittendi modus enim nullus unquam fuit, manumissiones numquam aliae nisi singulorum fuerunt et is errat profecto qui credit magnum numerum servorum voluntate et decreto domini solum ultro in cives converti potuisse. Nam mutationis alicujus, in rationem manumittendi lege allatae, in qua Puchta primus originem colonatus quaesivit <sup>2)</sup>, et quam Hoffmeister quoque respicit (vid. adn. 1.) in legibus nec vola nec vestigium inest <sup>3)</sup>. Manumissiones singulares vero servorum

---

<sup>1)</sup> L. M. HARTMANN, Ueber die Ursache des Unterganges des römischen Reiches. Archiv für sociale Gesetzgebung und Statistik. Band II. (1889) p. 484. Aus den vielen Untersuchungen, die seit SAVIGNY über die Entstehung dessen, was man in späterer Zeit Kolonat genannt hat, angestellt worden sind, scheint mit einiger Sicherheit hervorzugehen, dass sich der neue Stand aus den zur Bebauung des Landes angestellten Sklaven, die naturgemäss zu einer grösseren faktischen Freiheit gelangten, und aus den Kleinpächtern gebildet hat.

Dr. KARL HOFFMEISTER, Die wirtschaftliche Entwicklung Roms. 1899. p. 79. Vielfach dürften sie (die Colonen) aus den Ackerknechten hervorgegangen sein, die man anstatt gänzlicher Freilassung, um ihr Verlaufen zu verhindern, zwingen mochte, ansässig zu bleiben . . . Und zu Colonen dürfte auch jene Masse von Freien geworden sein e.q.s. . . . Idem apud GEORG ADLER, Die Socialreform im Altertum. 1897. pp. 83 et 84.

<sup>2)</sup> G. F. PUCHTA, Cursus der Institutionen II. (4<sup>e</sup> Aufl.) p. 458.

<sup>3)</sup> M. WLASSAK, Die prätorischen Freilassungen. p. 17. Jede Manumissio, auch die prätorische, verlangt eine eigene, unmittelbar dem Freilassungszweck dienende Erklärung . . . p. 49. Minime licet „aus der Gestalt der Tischfreilassung, wie sie von den neueren Gelehrten angenommen ist, eine unbegrenzte Zahl von „stillschweigenden“ Manumissionen abzuleiten.“

in agris collocatorum, et legitimae quidem coram magistratu aut promagistratu peractae, quibus hi non Latini Juniani, sed cives Romani fierent, quamvis molestae fuisse debeant dominis, cogitari sane possunt in his servis non minus quam in ceteris. Sed ejusmodi rei, quam omnes domini toto imperio Romano fere eodem tempore et libero ipsorum arbitrio peregissent necesse esset, ne unum quidem exemplum, quantum scio, traditum extat. Saepissime quidem — et hoc fortasse nonnullos ad falsam conclusionem induxit — servi a dominis suis collocati sunt *quasi coloni*<sup>1)</sup>, sed hanc ob rem minime fiebant coloni. Nullo modo apparet tales homines desiisse servos esse, quamvis meliore condicione sine dubio uterentur<sup>2)</sup>. Sed fac tale quid semel iterumque accidisse, usum hunc vulgatum fuisse parum probabile videtur. Nam praeterquam quod aliquid saltem traditum esse expectaveris, praesertim difficile dictu videtur quid tandem commodi possessores tali manumissione appetiverint et consecuti fuerint. Nam quod in servis urbanis intellegi potest, dominos ad eos manumittendos magna quadam liberalitate et mera luxuria adductos esse, id in servos rusticos cadere non potest, praesertim in nota illa inopia operarum agrestium.

Altera autem est quaestio, quae, ut dixi, cum prima saepe confunditur, num hujusmodi manumissiones, etiamsi acciderint, cohaereant cum colonatus origine, i. e. num omnes coloni fuerint libertini, num colonatus ex manumissione sola potuerit acquiri et fuerit peculiare genus libertinitatis. Id autem longe aliter se habere constat. Prorsus nullus locus laudari potest ex quo appareat colonos, de quibus agitur, antequam coloni facti essent, servos fuisse. Immo cum colonatus in Palaestinam induceretur, coloni liberi fuerunt qui dicebantur posthac solo adstricti fore<sup>3)</sup>. Falsum

<sup>1)</sup> L. 12. § 3. Dig. XXXIII. 7. Quaeritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur. — Eadem opponuntur in L. 16. Dig. XV. 3. Ceteroquin vide FUSTEL DE COULANGES, l. c. Chap. IV. Des tenures serviles.

<sup>2)</sup> WEBER, Röm. Agrargeschichte. p. 249. adn. Sobald der Sklave aus der villa rustica heraus in ein eigenes Haus gesetzt wurde, musste er gleichartig mit den Kolonen behandelt werden.

<sup>3)</sup> L. 1. C. J. XI. 51.

igitur etiam est servos quoque pro materia colonatus habere. Ita nobis rem proponere debemus: fac servum quendam, quasi colonum collocatum, primo saeculo p. Chr. n. manumissum esse; tum libertus factus est eo modo quo reliqui omnes, atque progenies ejus ingenua erat; sin autem hujusmodi manumissio facta esset postquam colonatus receptus est, tum colonus factus esset liber quidem, sed solo adstrictus sicuti ceteri; i.e. ipsa manumissio nihil pertinet ad originem colonatus. Hanc rem probe perspexisse eo pluris est, quia ex ea pendet iudicium quod de pretio colonatus juri in historia adscribendo ferendum sit; si colonatus esset jus, quod servis datum esset ut apud eos servitatem exciperet, etiamsi ea servorum rusticorum pars tantummodo fuisset qui id essent adepti, et si hi per colonatum ex servis semiliberi facti essent, colonatus sane significaret progressum aliquem ex deteriore condicione ad meliorem statum mundi factum; sed cum appareat plebem, quae colonario juri obnoxia facta sit, eandem antea liberam fuisse, fieri non potest quin ingentem gradum retroversum per eum factum esse iudicet historia <sup>1)</sup>).

Quodsi autem constat non servos fuisse qui postea coloni adhaerentes facti sunt, inquisitio de ratione agrorum culturae hujusmodi fit, utrum eodem tempore ordo agriculturalum evanuerit necne. „Die hinsichtlich des materiellen Ursprungs des Colonats zu beantwortende Frage stellt sich . . . . dahin . . . . wie die freie landbautreibende Bevölkerung, trotz des in der Zeit des Uebergangs von der Republik zum Kaisertum sich ausbreitenden Latifundienwesens sich bis zur Zeit Diocletians, bis

---

<sup>1)</sup> ED. MEYER, Die wirtschaftliche Entwicklung des Altertums p.72. Aus diesen Bemerkungen ergibt sich auch, was von der landläufigen Meinung zu halten ist, welche in der ökonomischen Entwicklung ein Fortschreiten von der Sklaverei zur Hörigkeit, von dieser zur freien Arbeit erblickt und darin zugleich trotz alles Niedergangs einen gewaltigen Fortschritt vom Altertum zum Mittelalter erkennen möchte. In Wirklichkeit bezeichnet die Ausbildung des Kolonats, der Hörigkeit, keinen Fortschritt, sondern ist gerade das charakteristischste Moment für die Rückbildung zu den primitiven Zuständen der mittelalterlichen, ständisch gegliederten Gesellschaft. Der hörige Kolone tritt ja nicht an Stelle des Sklaven, sondern an Stelle des freien Pächters, der jetzt erblich gebunden wird.

zum Beginne der Colonatsgesetzgebung, deren Object sie werden sollte, durch Jahrhunderte fort erhalten habe" <sup>1)</sup>). Ea autem condicione, ut antequam *explicamus quomodo* talis ordo extare potuerit, primum id ipsum *ostendamus* eum re vera *extitisse*. Hujus autem consilii parum refert utrum agricolae illi minores possessores fuerint an conductores. Ad duas res igitur in hac disputatione respondendum erit. Primum quaerendum est, num magnorum agrorum *possessio* ita parvam possessionem remove-rit, ut agricolis qui ipsi possiderent nullus locus superesset? Et dein, num in latifundiis magnorum agrorum *cultura* i.e. hoc tempore labor servorum, tam prorsus in locum parvae culturae substituta sit, ut etiam agricolae, qui agrum qualemcunque conduxissent, non amplius extarent? Quamquam id, quod secundo loco posui, multo majoris momenti est quam primum, tamen operae pretium est in hoc quoque breviter inquirere.

Contra vulgatam opinionem majorem possessionem minorem omnino devoravisse animadvertendum est, praeterquam quod jam per se parum probabilis videtur — quoniam in nulla societate generis humani, ubi bonorum creatio satis progressa est, rationes dominii tam simplices sunt — fontes quoque ei idoneum subsidium non praebere. Loci, in quibus de fame soli nunquam a possessoribus expleta eorumque ingentibus latifundiis sermo fit, majorem fere partem deprompti sunt ex satiricis (Petronio <sup>2)</sup>, Juvenali <sup>3)</sup>) vel morum praeceptoribus (Seneca <sup>4)</sup> Salviano <sup>5)</sup>) vel rhetoribus (Quintiliano <sup>6)</sup>). Itaque sane jam statim multis de causis timendum est ne ea, quae

<sup>1)</sup> HEISTERBERGK, l. c. p. 89.

<sup>2)</sup> Petronius. Sat. 38. § 1, ubi de Trimalchione sermo est: Nec est, quod putes illum quicquam emere. Omnia domi nascuntur: lana, credrae, piper, lacte gallinaceum si quaesieris invenies. — Cf. 48. 3, ubi ipse Trimalchio loquitur: Nunc conjungere agellis Siciliam volo, ut cum Africam libuerit ire, per meos fines navigem.

<sup>3)</sup> vide textum infra.

<sup>4)</sup> " " "

<sup>5)</sup> " " "

<sup>6)</sup> Quintil. Decl. 13 . . . nec ullus procedendi finis est nisi cum in alterum divitem inciderit.

tradita sunt, in falsum sint aucta. Sed dein ex ipso eo facto, quod hujusmodi possidendi ratio tamquam morbus et malum impugnatur, pro certo effici potest id, quamvis grave, tamen vulgatum non fuisse. In societate enim, ubi magna possessio ea ratio possidendi est, quae unice regnet, id non tamquam malum sentiri potest. Postremo observari licet tales querelas unoquoque fere saeculo denuo audiri; itaque semper denuo copia erat ut malo cederetur. Legimus eam primo saeculo apud Senecam: „Quousque fines possessionum propagabitis? Ager uni domino qui populum cepit angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum spatio contenti circumscribere praediorum modum? Inlustrum fluminum per privatam decursus est et amnes magni magnarumque gentium termini usque ad ostium a fonte vestri sunt. Hoc quoque parum est nisi latifundiis vestris maria cinxistis. Nisi trans Hadriam et Ionium Aegaeumque vester villicus regnat. Nisi incolae, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerantur. Quam vultis late possidete. Sit fundus quod aliquando imperium vocabatur. Facite vestrum quicquid potestis, dum plus sit alieni”<sup>1)</sup>. Legimus eam initio saeculi secundi, apud Juvenalem:

„crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit,  
 et minus hanc optat qui non habet. Ergo paratur  
 altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,  
 et proferre libet fines majorque videtur  
 et melior vicina seges, mercaris et hanc et  
 arbusta et densa montem qui canet oliva.

— — — — —

Alii loci de majoribus possessionibus sunt:

Columella I. 3.... qui possident fines gentium quos exemptos nexu civium et ergastulis tenent.

Plin. Nat. Hist. XVIII. 7. Sex domini semissem Africae possidebant, cum interfecit eos Nero princeps.

Aggenus Urbicus, Comment. de controvers. agr. ed. LACHMANN. p. 85. In Africa, ubi saltus non minores habent privati quam res publicae territoria. Quin imo multi saltus longe majores sunt territoriis.

<sup>1)</sup> Seneca. Epist. 89. 18.



dicere vix possis quam multi talia plorent  
et quot venales injuria fecerit agros" <sup>1)</sup>).

Ex fine saeculi secundi narrationem de possessoris cujusdam rapinis legimus apud Apulejum: „jamque tota frugalitate spoliatum ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat finiumque inani commota quaestione terram totam sibi vindicabat" <sup>2)</sup>). Eandem querelam de interitu minorum possessorum invenimus, saeculo quinto, apud Salvianum: „Itaque nonnulli eorum de quibus loquimur, qui aut consultiores sunt aut quos consultos necessitas fecerit, agellos suos aut pervasionibus perdunt aut fugati ab exactoribus deserunt quia tenere non possunt, fundos majorum expetunt et coloni divitum fiunt" <sup>3)</sup>). Et ex saeculo sexto tradita est lex Justiniani sic incipiens: „Propter avaritiam creditorum, qui angustia temporum abutentes, terrulas infelicium agrestium sibi acquirunt, pro paucis frumento omnem illorum substantiam retinentes, legem posuimus..." <sup>4)</sup>).

Ex iteratis hisce querelis luculentissime apparet inclinationem quidem temporum fuisse ut minores possessores a majoribus exigerentur, sed tale quid nunquam ad finem esse perductum <sup>5)</sup>). Statistice, eis numeris compositis qui in tabulis alimentariis praesto sunt, hoc demonstratum est a v. cl. MOMMSEN. Comparatione habita terrarum divisionis in vicinia Beneventi temporibus triumvirorum atque Trajani, ostendit minorem possessionem diminutam quidem esse, sed haudquaquam omnino evanuisse. „Im Ganzen genommen ergibt sich für die Trajanische Zeit freilich gegen die ältere ein sehr fühlbarer Rückgang des Kleinbesitzes, aber dennoch selbst für diese späte Epoche eine Fortdauer des kleineren Grundeigentums, welche den landläufigen

<sup>1)</sup> Juvenalis. V. 14. 139. sqq., 150 sq.

<sup>2)</sup> Apulejus. Metam. IX. c. 35.

<sup>3)</sup> Salvianus. De gub. dei. V. 43.

<sup>4)</sup> Nov. Just. XXXIII. cf. XXXII et XXXIV.

<sup>5)</sup> Utilis est comparatio cum iis, quae Aristoteles tradit de agrorum possessione in Attica Solonis temporibus; dicit enim (de rep. Ath. 1. 2. et 4. 5.): ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν; (cf. Plut. Solon. 13. ἀπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων.) Ex eo autem, quod Solon classes civium secundum mediam minoremve possessionem divisit, certo certius apparet medios

Vorstellungen über dessen frühzeitigen Untergang eine wesentliche Beschränkung auferlegt" <sup>1)</sup>). In Aemilia contra insignis pars, quae antea parva possessio erat, in manus possessorum venit, „wahrscheinlich weil die reichen Fluren der Po-landschaft das Capital mehr anlockten als das hirpinische Hügeland" <sup>2)</sup>).

Quodsi igitur ea opinio, tamquam aetate imperatoria minores possessores a majoribus prorsus devorati essent, falsa est habenda, ab altera parte tamen concedendum erit numerum agriculturalum, qui proprios agros colebant, nullo pacto insignis magnitudinis esse potuisse. Quam ob rem multo pluris interest illud inquirere, num in latifundiis ubique parvorum agrorum cultura locum suum labori servorum cesserit. Incipiamus denuo gravissimos quosdam locos enumerare, quibus haec opinio nititur vel qui pro ea afferri possunt. In vita Tiberii Gracchi scripsit Plutarchus <sup>3)</sup>): „*Ἀρξάμεναν δὲ τῶν πλουσίων ὑπερβάλλειν τὰς ἀποφορὰς καὶ τοὺς πένητας ἐξέλαυνόντων, ἐγράφη νόμος οὐκ ἔων πλέθρα γῆς ἔχειν πλείονα τῶν πεντακόσιων. Καὶ βραχὺν μὲν χρόνον ἔπεσχε τὴν πλεονεξίαν τὸ γράμμα τοῦτο καὶ τοῖς πένησιν ἐβοήθησε κατὰ χώραν μένουσιν ἐπὶ τῶν μεμισθωμένων καὶ νεμομένοις ἦν ἕκαστος ἐξ ἀρχῆς εἶχε μοῖραν. Ὑστερον δὲ τῶν γειτνιώντων πλουσίων ὑποβλήτοις προσώποις μεταφερόντων τὰς μισθώσεις εἰς ἑαυτοὺς, τέλος δὲ φανερώς ἤδη δι' ἑαυτῶν τὰ πλεῖστα κατεχόντων, ἐξωσθέντες οἱ πένητες οὔτε ταῖς στρατείαις ἔτι προθύμους παρῆχον ἑαυτοῦς, ἡμέλουν τε παιδῶν ἀνατροφῆς, ὥστε τὰ χυτὴν*

minoresque possessores fuisse. „Wenn Aristoteles statt dessen gesagt hätte, dasz „der grösste Teil“ des Landes sich in den Händen „weniger“ befand, so würde er damit das relative Verhältnis zwischen der geringen Zahl der groszen Grundbesitzer und der Masse der kleinen Bauern ganz gut charakterisiert haben. Auch heute ist man versucht Ähnliches zu sagen, wenn man die Lage der Dinge in Ländern ins Auge faszt, wo der grosze Grundbesitz eine überragende wirtschaftliche und politische Rolle spielt, wie z. B. in Böhmen.“ HEINRICH SWOBODA. Beiträge zur griechischen Rechtsgeschichte. p. 123. adn. 2.

<sup>1)</sup> TH. MOMMSEN, Die italische Bodenteilung. *Hermes* XIX. p. 401.

<sup>2)</sup> I. c. p. 408. cf. WEBER, Römische Agrargeschichte p. 230. Es bestätigt dies.... dasz die Nähe gröszerer Verkehrsstrassen die allgemeine Entwicklung beschleunigte.

<sup>3)</sup> Plut. Vita. Tib. Gracchi. 8.

Ἰταλίαν ἅπασαν ὀλιγανδρίας ἐλευθέρων αἰσθῆσθαι, δεομητηρίων δὲ βαρβαρικῶν ἐμπεπλησθαι, δι' ὧν ἐγεώργουν οἱ πλούσιοι τὰ χωρία τοὺς πολίτας ἐξελάσαντες." Prorsus eadem imago generalis hujus processus invenitur apud Appianum<sup>1)</sup>. „Οἱ... πλούσιοι τῆσδε δὲ τῆς ἀνεμήτου γῆς τὴν πολλὴν καταλαβόντες, καὶ χρόνῳ θαρροῦντες οὕτινα σφᾶς ἔτι ἀφαιρήσεσθαι, τὰ τε ἄγχου σφίσιν, ὅσα τε ἦν ἄλλα βραχέα πενήτων, τὰ μὲν ὠνούμενοι πειθοῖ, τὰ δὲ βία λαμβάνοντες πεδία μακρὰ ἀντὶ χωρίων ἐγεώργουν ὠνητοῖς ἐς αὐτὰ γεωργοῖς καὶ ποιμέσι χρώμενοι, τοῦ μὴ τοὺς ἐλευθέρους ἐς τὰς στρατείας ἀπὸ τῆς γεωργίας περισπᾶν φερούσης ἅμα καὶ τῆσδε τῆς κτήσεως αὐτοῖς πολὺ κέρδος ἐκ πολυπαιδίας θεραπόντων ἀκινδύνως αὐξανομένων διὰ τὰς ἀστρατείας. Ἀπὸ δὲ τούτων οἱ μὲν δύνάτοι πάμπαν ἐπλούτουν, καὶ τὸ θεραπόντων γένος ἀνὰ τὴν χώραν ἐπλήθυε." Videtur hoc confirmari a variis scriptoribus qui tam exactionis agricolarum quam ingentium multitudinum servorum mentionem faciunt. Ita narrat Sallustius<sup>2)</sup>: „paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes eosdem aerarium provinciae, magistratus gloriae triumphique erant; populus militia atque inopia urgebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant; interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur". Multi urbes petebant, idem scriptor alibi nuntiat<sup>3)</sup>: „primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ei Romam sicut in sentinam confluxerant.... praeterea juvenus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat." Apud Horatium quoque eadem exactio significatur:

<sup>1)</sup> App. De bello civ. I. 7.

<sup>2)</sup> Sall. Bell. Jug. 41. 7. sqq.

<sup>3)</sup> Sall. De conj. Cat. 37. 5 et 7.

pellitur paternos  
in sinu ferens deos  
et uxor et vir sordidosque natos<sup>1)</sup>.

Juxta ea memorari potest Livius, qui tradit suis temporibus agrum Volscorum omnino desertum fuisse et servis tantum opertum<sup>2)</sup>; item epistula quam Tiberius senatui scripsit, rogans semet ipsum<sup>3)</sup>: „Quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? Villarumne infinita spatia? Familiarum numerum et nationes?” Etiam ex Petronio laudant actuarii magniloquentiam, jactantis in uno praedio Trimalchionis uno die natos esse pueros XXX puellas XL<sup>4)</sup>.

Patet autem singulos locos, in quibus de ingentibus servorum copiis sermo est, — fac eis ad verbum fidem esse habendam, quod in extremo illo vix quisquam putabit — haudquaquam ostendere eam rem vulgatam fuisse. Quin immo ex ipso facto, quod id tam crebro commemoratur, colligi potest etiam temporibus scriptorum singulare adhuc fuisse; hoc enim, quod rarum est, ut est maxime conspicuum, facilius adnotabitur, cum sollemne contra, quippe quod per se intellegatur, neglegatur, certe a veteribus rerum scriptoribus<sup>5)</sup>. „Will man eine Zeit verstehen, so musz man ihre Alltäglichkeit verstehen, gerade jene Verhältnisse erforschen, welche die Darsteller ihrer eigenen

<sup>1)</sup> Hor. Carm. II. 18. 26. sqq.

<sup>2)</sup> Liv. IV. 12. 5. (simile veri est) aut innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis (sc. Volscorum), quae nunc vix seminario exiguo militum relicto servitia Romana ab solitudine vindicant.

<sup>3)</sup> Tac. Ann. III. 53.

<sup>4)</sup> Petron. Sat. 53. 1. Et plane interpellavit saltationis libidinem actuarius, qui tamquam urbis acta recitavit: „VII kalendas sextiles: in praedio Cumano, quod est Trimalchionis, nati sunt pueri XXX, puellae XL.”

<sup>5)</sup> Ita hodie saepissime legere possumus magnam pecuniam in paucorum manibus coacervatam (grootkapitaal) minores tabernas, „pellere” vel „enecare.” Et simul fabulosas fere descriptiones eorum quae in ingentibus illis tabernis (Waarenhäusern) veneunt. „Daar is alles te krijgen — letterlijk alles, en zonder eenige moeite. Ik heb meubelen, kleeren, huisraad, manufacturen noodig, — een woord (mondeling, per brief, telegraaf, telefoon) naar SPIERS & POND en ik ontvang het begeerde. Ik wil linnengoed gewasschen hebben, een woning inrichten, een maaltijd geven — een woord aan SPIERS & POND en mijn verlangen wordt vervuld met een promptheid van geesten uit Duizend-en-een-Nacht, en met ongeveer gelijke macht over

Zeit als selbstverständlich nicht aufzeichnen, die ja nur das Auszergewöhnliche überliefern. Den späteren Verarbeitern der historischen Quellen wird das Auszergewöhnliche, Abnorme einer Zeit eher bekannt als ihre normalen Verhältnisse" <sup>1)</sup>). Explorandum igitur erit, num illae ingentes servorum copiae, quas scriptores supra commemorati jactabant aut querebantur, re vera in latifundia tam longe lateque diffusae fuerint, labore liberorum colonorum semoto; ad id indagandum scriptores ejus temporis — neque praesertim rerum scriptores — consulamus, et cognoscemus sexcenties apud eos strictim agriculturalum mentionem fieri. Hujusmodi investigationis, ad eandem rem quidem pertinentis, sed non tam copiosae quam quae infra sequitur, initium jam factum est ab aliis. WALLON observaverat vestigia parvae possessionis reperiri a Varrone usque ad finem imperii <sup>2)</sup>). REVILLOUT aliquot locos enumeravit ex quibus apparere posset agriculturalum ordinem nondum evanuisse <sup>3)</sup>). Sed HEISTERBERGK adhuc declarare potuit <sup>4)</sup>): „Einzelne Beispiele des Vorkommens können den geforderten Beweis nicht erbringen“, negavitque talem ordinem in Italia extitisse; ibi enim aliter

---

tijd en ruimte. Ik wensch een piano, een zalm of een kreeft, een schapenboud, een oppasser, een aantal oppassers voor een buitenpartij, een huis, een landgoed, — een woord aan SPIERS & POND, en zoover het binnen bereik is van menschen, heb ik wat ik wensch. Kortom, er is niets, ik heb ten minste nog niets gevonden dat voor geld te krijgen is, en niet bij SPIERS & POND te koop ware. Zij bezorgen begrafenissen, huwelijksplechtigheden, reizen, badkuren, private tooneelvoorstellingen en concerten." (VAN DER GOES, Grootkapitaal en Kleinhandel. I. p. 64). Sed adversus generales querelas et singulas descriptiones scimus tam numeris artis statisticae quam experientia quotidiana minores tabernas solitas vulgatasque esse.

<sup>1)</sup> K. KAUTSKY, Die Rebellionen in SCHILLER's Dramen. Die Neue Zeit. XXIII. 2. p. 137.

<sup>2)</sup> H. WALLON, Histoire de l'esclavage dans l'antiquité. 2e ed. III. p. 267, note 4. Nous ne voulons pas dire que la petite propriété ait absolument péri. On en trouve des traces depuis Varron jusqu'à la fin de l'empire. — Ex abundantia denuo observetur, si cognoscere velis num agriculturalum cultura labori servorum cesserit, nihil interesse, utrum hi coloni proprios agros an conductos coluerint.

<sup>3)</sup> M. CH. REVILLOUT, Etude sur l'histoire du colonat chez les Romains. Revue historique de droit français et étranger. II. (1856) § 10. p. 445. Part laissée au colonat.

<sup>4)</sup> HEISTERBERGK, l. c. p. 36.

ac in reliquis provinciis immunitas erat jugationis terrenae, atque idcirco stimulus — secundum eum — ad agros colendos deerat. Huic opinioni convenienter colonatum (i. e. apud eum minorem colonorum culturam) ex provinciis originem duxisse putat: „Wir erklären den Colonat für das Merkmal der Latifundienbildung auf tributärem Boden, für eine ihrem Ursprunge nach ausschliesslich provinciale Gestaltung“ <sup>1)</sup>. MOMMSEN illius viri cl. HEISTERBERGK sententiae fundamentum „HEISTERBERGKS Grundauffassung dasz der freie Colonat in Italien gefehlt und sich in den Provinzen entwickelt habe“ vocavit falsum „schlechthin falsch“ <sup>2)</sup>; „ja es dürfte, so wenig dies den landläufigen Anschauungen entspricht, wenn man nur auf die Wirtschaft, nicht auf den Besitz sieht, die Kleinwirtschaft in der Kaiserzeit wohl eher zu — als abgenommen haben“ <sup>3)</sup>. Breviter indicavit Columellam, Plinii epistulas, testimonia juris peritorum inscriptionumque, ut ostenderet „dasz er (colonatus sc.) recht eigentlich hier seinen Sitz hatte, obwohl er allerdings im ganzen Reiche herrschte“ <sup>4)</sup>. Qui post eum de hac re scripserunt, quatenus historici sunt, hanc sententiam comprobaverunt nullis jam documentis prolatis. FUSTEL commentationem suam sic orditur: „Plaçons nous dans la première moitié de l’empire, entre le

<sup>1)</sup> l. c. p. 78. cf. p. 85. Wenn es richtig ist, den Getreidebau als ein Merkmal der Provinzen zu bezeichnen, so lässt sich aus Columella’s Mitteilung, dasz für die getreidebauenden Latifundien die Verpachtung an freie Colonen sich am meisten empfohlen habe, schlieszen, dasz die Bewirtschaftung durch freie Kleinpächter wesentlich den Provinzen zugefallen war, während die italische Landwirtschaft, so weit sie nicht durch die von keiner Steuerplicht beschränkte Willkür der Verfügung über Grund und Boden überhaupt vernichtet worden war, sich auf den Betrieb durch Sklaven angewiesen sah.

<sup>2)</sup> MOMMSEN, Die italische Bodenteilung. Hermes XIX. p. 413. adn. 1.

<sup>3)</sup> l. c. p. 410.

<sup>4)</sup> l. c. p. 413. cf. Hermes XV. p. 408. Der Colonat an sich, das heiszt die bäuerliche Kleinpacht, ist so alt und so jung wie Italien und war und ist unter König Romulus wie unter König Humbert wesentlich gleichartig beschaffen.... Dasz diese natürlichen Verhältnisse zu allen Zeiten und namentlich auch in der Epoche der römischen Kaiserherrschaft zur Geltung gelangt sind, wird für denjenigen, dem die Bronnen der Kunde wirklichen römischen Lebens, die Pandekten oder die Inschriften, fliessen, eines Beweises nicht bedürfen.

temps ou Varron et Columelle écrivaient leurs traités sur l'agriculture, et celui où Gajus et Ulpien écrivaient leurs traités sur le droit. Nous trouvons durant toute cette période un cultivateur que la langue appelle naturellement colonus" <sup>1)</sup>. Ed. MEIJER scribit: „Auszerdem hat neben der Eigenwirtschaft mit ungefesselten und gefesselten Sklaven immer die Parzellenverpachtung an freie Kolonen bestanden, die Columella I. 7. 6. namentlich für abgelegene Grundstücke empfiehlt, die der Eigentümer nur selten inspizieren kann. In der Kaiserzeit gewinnt dann diese Form der Bewirtschaftung immer mehr die Herrschaft" <sup>2)</sup>. Et A. SCHULTEN: . . . „der italische Groszgrundbesitz besteht aus Kleinpachtwirtschaft . . ." <sup>3)</sup>. Si has sententias componis cum eis, quae supra laudatae sunt (p. 83.), eo magis apparet integratam inquisitionem nihilominus supervacuum non esse <sup>4)</sup>.

Quamquam agricultura per ultima saecula liberae reipublicae jam non eundem summum locum obtinebat ac antea, tamen etiam tum in honore erat. Cicero saltem eloqui potuit omnium artium agriculturam optimam esse et libero homine dignissimam <sup>5)</sup>. Refert se multos viros nosse qui filios suos ad nihil potius quam ad agriculturam instruere volunt <sup>6)</sup>. Ordo agricularum juxta alios valet in societate Romana: rogatus quem optimum quemque aestimet, agricolas nominat una cum mercatoribus <sup>7)</sup>. Cum Cato enumerat voluptates senectutis, Cicero

<sup>1)</sup> FUSTEL DE COULANGES, l. c. p. 9.

<sup>2)</sup> Ed. MEYER, Die wirtsch. Entw. des Altertums. p. 56. adn. 1.

<sup>3)</sup> A. SCHULTEN, Die römischen Grundherrschaften. p. 14.

<sup>4)</sup> Per se intellegitur pleraque testimonia nobis praesto esse de Italiae agricultura, quamquam ea quae inveni de aliis provinciis non omisi. Num in alia major, in alia minor numerus fuerit agricularum, hujus rei in sequentibus ratio non est habita. Satis habui quam plurimis locis adhibitis in universum ostendere nusquam ordinem agricularum evanuisse, immo ubique vulgatum fuisse.

<sup>5)</sup> Cic. de off. I. 151. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agriculturâ melius, . . . nihil homine libero dignius.

<sup>6)</sup> Cic. de Sen. 24. Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus.

<sup>7)</sup> Cic. pro Sest. 97. „Quis ergo iste optimus quisque?" Numero si quaeris

eum loquentem facit de vita non in villis acta, sed quam vivunt agricolae, occando arandoque intentam; in quo sane, uti faciunt oppidani, rusticorum vitae supra verum decorem addit <sup>1)</sup>). Et quantopere ars agrorum omnibus nota et familiaris fuisse debeat, ex eo apparet quod explanandi causa saepissime ex ea exempla sumuntur: „Arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet baccam ipse nunquam” <sup>2)</sup>). — „Multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt” <sup>3)</sup>). Campanos narrat superbos esse ubertate suorum agrorum opimisque messibus <sup>4)</sup>); caput eorum Capua agricolis vicinae regionis nundinae erant <sup>5)</sup>). Agri Sabini alibi robur reipublicae vocantur <sup>6)</sup>). Agros suos colonis locare solemne erat. Debemus, Cicero inquit, sociis nostris aequae benevole uti ac colonis solemus <sup>7)</sup>). Identidem talis coloni mentio fit. Sermo est de colono quodam qui fundum Caesenniae conductum habebat <sup>8)</sup>). Xeno Menenus, vir nobilis Siciliae, praedium uxoris colono locaverat <sup>9)</sup>). Sollemne ibi est, inquit Cicero, etiam homines locupletes terras conductas habere <sup>10)</sup>); pauperes ita facere consuesse, id in

---

innumerabiles: neque enim aliter stare possemus; sunt principes consilii publici, sunt qui eorum sectam sequuntur, sunt maximorum hominum ordines, quibus patet curia, sunt municipales, rusticique Romani, sunt negotii gerentes, sunt etiam liberti optimates.

<sup>1)</sup> Cic. de Sen. 51–60. Venio nunc ad voluptates agrorum, et q. s.

<sup>2)</sup> Cic. Tusc. Quaest. I. 31.

<sup>3)</sup> Cic. de Div. I. 112. cf. II. 16. Ut agricola cum florem oleae videt, baccam quoque se visurum putat.

<sup>4)</sup> Cic. de leg. agr. II. 95. Campani semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine.

<sup>5)</sup> Cic. ib. II. 89. Majores Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt.

<sup>6)</sup> Cic. pro Ligar. 32. . . . possum . . . totum agrum florem Italiae ac robur reipublicae proponere.

<sup>7)</sup> Cic. de off. III. 88. Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Nimis mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis, cum in hos benefici esse deberemus; cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus.

<sup>8)</sup> Cic. pro. Caec. 94. Qui colonus habuit conductum de Caesennia fundum . . . .

<sup>9)</sup> Cic. Verr. III. 54. Xenonis Meneni, nobilissimi hominis, uxoris fundus erat colono locatus.

<sup>10)</sup> Cic. Verr. III. 53. Nympho est Centuripinus, homo navus et industrius,



ipsis verbis inest et tamquam res notissima siletur. Itaque vir cl. Holm qui Siciliae historiam scripsit, dicere potuit: „Die Zahl der Ackerbauer hat wieder zugenommen, wie uns die Verrinae Ciceros zeigen“ <sup>1)</sup>. — Cluentius in agro Falerno familiariter Statio quodam Albo utebatur, qui colonus erat <sup>2)</sup>. Rullum rogat Cicero utrum ager detur rusticis, qui jam habent, an urbanis <sup>3)</sup>. Coloni fuerunt Minturnenses (in Latio) qui Marium benigne exceperunt <sup>4)</sup>, uti etiam opifices agrestesque fuerant, qui antea ad eum confluerant <sup>5)</sup>. Plebs rustica in Etruria a Manlio sollicitabatur <sup>6)</sup>.

Cicero cum incolas Galliae provinciae enumerat, dicit: negotiatores, colonos, publicanos, aratores, pecuarios <sup>7)</sup>, vel publicanos, agricolas pecuarios, negotiatores <sup>8)</sup>. — In Numidia tuguria plena hominum fuisse narrat Sallustius agrosque opertos cultoribus <sup>9)</sup>. Ingentia Africae latifundia quoque ex inscriptionibus saeculi secundi (de quibus infra) cognoscimus culta a colonis <sup>10)</sup>. Libyam Herodianus affluentem dicit hominibus atque

---

experientissimus et diligentissimus arator. Is cum arationes magnas conductas haberet, (quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueverunt).....

<sup>1)</sup> Ad. HOLM, Geschichte des Siziliens. p. 104, cit. in Neue Jahrbücher III, (1899) p. 435.

<sup>2)</sup> Cic. pro Cluent. 175. Cum esset una Sassia, et Statio Albio quodam, colono, homine valente, qui simul esse solebat, familiarius uteretur....

<sup>3)</sup> Cic. de leg. agr. II. 79. Ante rusticis detur ager qui habent quam urbanis....

<sup>4)</sup> Cic. pro Plancio. 26. An Minturnenses coloni, quod C. Marium ex civili errore, atque ex impiis manibus eripuerunt, quod tecto receperunt.... aeterna in laude versantur.

<sup>5)</sup> Sall. de bell. Jug. 73. 6. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus frequentarent Marium....

<sup>6)</sup> Sall. de conj. Cat. 23. 4. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare.

<sup>7)</sup> Cic. pro Fontejo. 2.

<sup>8)</sup> " " " 36.

<sup>9)</sup> Sall. de bell. Jug. 46. 5. Deinde ipse (Metellus) paucis diebus intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit, ubi contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant. — Cf. 54. 6. Itaque in loca Numidiae opulentissima pergit, agros vastat, multa castella et oppida.... capit incenditque.

<sup>10)</sup> A. SCHULTEN, Das römische Africa. p. 35. Nordafrika ist zwar das klassische Land des Groszgrundbesitzes, aber die meilenweit ausgedehnten

agricolis <sup>1)</sup>. — Etiam in Aegypto tam urbes quam agri celeberrimi erant <sup>2)</sup>. — De Hispaniae provincia Baetica adnotatur: „Die Intensität des Anbaus ergibt sich aus den statistischen Ziffern: 250 Städte rechnet Strabo in Baetica, von denen Plinius 185 namentlich, die Ptolemaeische Karte 92 mit approximativer Andeutung der Lage aufführt“ <sup>3)</sup>. —

In continuis bellis in fine liberae rei publicae imprimis agricolae sunt qui materiam praebent qua exercitus componantur. Catilina stipatus est turba colonorum Arretinorum et Faesulanorum <sup>4)</sup>; in pugna apud Pistoriam facta his armatis corpus suum circumsaepserat <sup>5)</sup>. Bello civili inter Caesarem et Pompejum Domitius naves servis, libertis, colonis suis complet <sup>6)</sup>. Pompejus exercitum cogit ex agro Piceno, qui totus paternis ejus clientibus refertus erat <sup>7)</sup>. Cum scriptorem rerum suarum, Theophanem Mitylenaeum, civitate donaret, totum ejus exercitum huic ingenii laudi laetis vocibus acclamavisse refert Cicero, quamquam constaret rusticis indoctis <sup>8)</sup>. Androstenes, praetor

---

Latifundien waren nicht von Sklaven bestellte Plantagen, sondern ein Komplex von kleinen Pachtgütern.

<sup>1)</sup> Herodianus. VII. 4. *μέγα δὲ τι πλῆθος ἠθροίσθη. φύσει γὰρ πολυάνθρωπος οὖσα ἡ Διβύη πόλους εἶχε τοὺς τὴν γῆν γεωργοῦντας.*

<sup>2)</sup> Cassius Dio. 51. 17. *διὰ τὸ πολυάνθρωπον καὶ τῶν πόλεων καὶ τῆς χώρας.*

<sup>3)</sup> KIEPERT, Lehrbuch der alten Geographie. § 419; cit. apud Jung, Ueber die Bevölkerungsverhältnisse des Römischen Reiches. Wiener Studien. I (1879). p. 186. adn. 12.

<sup>4)</sup> Cic. pro Mur. 49. Catilinam interea . . . circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu.

<sup>5)</sup> Sall. De conj. Cat. 59. 3. ipse cum libertis et colonis propter aquilam adstitit.

<sup>6)</sup> Caes. de bell. civ. I. 34. 2. Cognoscit (Caesar) . . . profectum item Domitium ad occupandam Massiliam navibus actuariis septem, quas Igili et in Cosano a privatis coactas servis, libertis, colonis suis compleverat. — I. 56. 3 Certas sibi deposcit naves Domitius atque has colonis pastoribusque, quos secum adduxerat, complet.

<sup>7)</sup> Vell. Patere. II. 29. Pompejus contraxit exercitum ex agro Piceno qui totus paternis ejus clientelis refertus erat.

<sup>8)</sup> Cic. pro Archia. 24. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit? Et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes ejusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt?

Thessaliae, omnes liberos ac servos ex agris in oppidum cogit <sup>1)</sup>.  
Agricolae cum stipendia mereant, agri inculti manent et hujus  
rei querelas saepissime invenimus apud poetas:

squalent abductis arva colonis,

Vergilius canit <sup>2)</sup>, et Lucanus:

multosque inarata per annos

Hesperia est desuntque manus poscentibus arvis <sup>3)</sup>.

Sed in fine horum bellorum quies redit atque cultura agri  
denuo suscipitur <sup>4)</sup>.

Lucanus cum significare vult Rubiconem finem esse Galliae  
et Italiae, dicit eum agros Gallicos a colonis Italis dividere <sup>5)</sup>.  
Alibi quoque saepissime apud eum de agricolis sermo fit <sup>6)</sup>.  
Etiam operarii rustici hoc tempore non semper servi sunt.  
Vespasiani proavus, qui in fine liberae rei publicae vicit,  
manceps erat operarum rusticarum, quae quotannis, sine dubio  
circa messis tempora, ex Umbria in Sabinos agros commeare  
solebant <sup>7)</sup>. Et in Africa quoque carmen in sepulcro incisum  
inventum est, in quo viri mentio fit qui quotannis cum turbis  
messorum Numidiam petere solebat <sup>8)</sup>.

Agriculturam hoc quoque tempore insignem locum obtinuisse

<sup>1)</sup> Caes. Bell. Civ. III. 80. 3. Itaque Androsthene, praetor Thessaliae, ...  
omnem ex agris multitudinem servorum ac liberorum in oppidum cogit.

<sup>2)</sup> Verg. Georg. 1.507.

<sup>3)</sup> Lucanus. Phars. I. 28.

<sup>4)</sup> Vell. Paterc. II. 89. 3. Finita vicesimo anno bella civilia, ... revocata  
pax ... rediit cultus agris.

<sup>5)</sup> Luc. Phars. I. 215.

Perque imas serpit valles, et Gallica certus  
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

<sup>6)</sup> II. 139, 444, 635; III. 191; VI. 862; X. 303.

<sup>7)</sup> Suet. Vespas. 1. Non negaverim jactatum a quibusdam Petronis patrem  
e regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quae ex Umbria in  
Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare soleant.

<sup>8)</sup> BÜCHELER, Carmina epigraphica. N. 1238.

Falcifera cum turma virum processerat arvis,  
seu Cirtae Nomados seu Jovis arma petens.

-----  
undecim et turmas messorum duximus annis  
et Numidae campos nostra manus secuit.

Laudatum a viro cl. SCHULTEN, Das römische Afrika. p. 111.

ex eo imprimis apparet, quod poeta, qualis erat Vergilius, animum induxit ut, brevi post Varronis dissertationem, ei carmen didacticum dicaret; quod profecto vix factum esset si omne rusticum opus servis relictum esset. Agricolam vitam felicem praedicat:

o fortunatos nimium, sua si bona norint,  
agricolas! <sup>1)</sup>

quamvis veritas nimirum aliter se habuerit <sup>2)</sup>. Ipse eos adloquitur: orate agricolae <sup>3)</sup>, sperate coloni <sup>4)</sup>, atque saepissime eos commemorat <sup>5)</sup>.

Apud omnes poetas hujus temporis agricolae solitum ac tritum fere argumentum praebent. Si variae artes enumerantur agricolarum nunquam deest. Sic legimus apud Horatium:

agricolam laudat juris legumque peritus, <sup>6)</sup>

apud Tibullum:

lucra petens habili tauros adjungit aratro  
et durum terrae rusticus urget opus <sup>7)</sup>.

apud Propertium:

navita de ventis, de tauris narrat arator,  
enumerat miles vulnera, pastor oves <sup>8)</sup>.

apud Ovidium:

rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,  
rectorem dubiae navita puppis amat <sup>9)</sup>.

Saepe sane apparet eos non opulentos existimari; si Horatius divitem pauperi opponere vult, dicit: „sive reges sive inopes

<sup>1)</sup> Verg. Georg. II. 458.

<sup>2)</sup> „Eine idyllische Auffassung des Landlebens ist immer ein Produkt städtischer Ueberkultur und ein Zeichen ungesunder ländlicher Zustände, denn sie hat zur Voraussetzung, dass der Gutsbesitzer sein Gut nur vom Standpunkt des Villegianten betrachtet und von der harten Not des Bauernlebens nichts weisz.“ SCHULTEN, Das Röm. Afrika. p. 51.

<sup>3)</sup> Verg. Georg. I. 100.

<sup>4)</sup> „ „ III. 288.

<sup>5)</sup> „ „ I. 48, 160, 259, 299, 300, 317, 355, 429, 494; II. 36, 401, 406, 445, 513; IV. 272.

<sup>6)</sup> Hor. Sat. I. 1. 9.

<sup>7)</sup> Tibullus. I. 9. 7.

<sup>8)</sup> Propert. II. 1. 43.

<sup>9)</sup> Ovid. Ex Ponto. II. 5. 61.

erimus coloni" <sup>1)</sup>); alibi in universum mentionem facit „pauperis coloni" <sup>2)</sup>), ut Propertius „pauperis agricolae" <sup>3)</sup>). Ut explanet quid sit „vivere parvo" agricolam laudat Horatius, qui agrum quendam conductum colit, qui ante suus ipsius fuerat <sup>4)</sup>); quo exemplo simul ostenditur amplificationem illam terrarum non semper hac ratione factam esse ut in locum agricularum servi subirent; exemplum praeterea, quod minime unicum extat, uti apparet ex nonnullis utilissimis versibus Lucani:

Tum longos jungere fines  
Agrorum et quondam duro sulcata Camilli  
Vomere et antiquos Curiorum passa ligones  
Longa *sub ignotis* extendere rura *colonis* <sup>5)</sup>).

Horatius loquitur de quinque colonis quos habebat <sup>6)</sup>). Etiam in Tibulli carminibus mentio fit „rusticae pubis" <sup>7)</sup>) ejusque vitae. Agricolae Messalam canunt, cum incolumes e magna urbe reverterunt <sup>8)</sup>). Lectores ita gnaros esse agricularum vitae omnes poetae ponunt, ut saepissime simplicia vera exemplis ex hac sumptis illustrentur:

Dimidium facti qui coepit habet: sapere aude:  
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,  
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille  
Labitur et labetur in omne volubilis aevum. <sup>9)</sup>

Horatius alicubi dicit; et alibi amicum monet

Sic positum servabis onus, ne forte sub ala

<sup>1)</sup> Hor. Carm. II. 14. 12.

<sup>2)</sup> „ „ I. 35. 5.

<sup>3)</sup> Propert. II. 19. (III. 12) 8.

<sup>4)</sup> Hor. Sat. II. 2. 114.

<sup>5)</sup> Luc. Phars. I. 167—170.

<sup>6)</sup> Hor. Epist. I. 14. s.q.q.

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,  
quem tu fastidis habitatum quinque focus et  
quinque bonos solitum Variam dimittere patres.

<sup>7)</sup> Tib. I. 1. 23.

<sup>8)</sup> Tib. I. 7. 61.

Te canit agricola, e magna cum venerit urbe  
Serus inoffensum rettuleritque pedem.

<sup>9)</sup> Hor. Epist. I. 2. 40.

Fasciculum portes librorum ut rusticus agnum. <sup>1)</sup>  
 Saepe de festis diebus agricolarum narratur cum  
 Festus in pratis vacat otioso  
 Cum bove pagus. <sup>2)</sup>

et

Rusticus emeritum palo suspendat aratrum. <sup>3)</sup>  
 Tunc vilicus colonis requiem det:  
 Vilice, da requiem terrae, semente peracta;  
 Da requiem terram qui coluere, viris.  
 Pagus agat festum: pagum lustrate coloni . . . <sup>4)</sup>.

Ut Ovidius Ferentivas, ita Tibullus Ambarvalia describit;  
 hic quoque juxta „turbam vernarum” coloni memorantur <sup>5)</sup>.  
 Cum poeta indicare vult Cornutum amicum non omnes orbis  
 terrarum opes commutare velle cum amore suo, hoc modo  
 loquitur:

Nec tibi malueris, totum quaecunque per orbem  
 Fortis arat valido rusticus arva bove <sup>6)</sup> <sup>7)</sup>.

Invenimus igitur initio aetatis imperatoriae saepissime agri-  
 colarum mentionem fuisse atque eo modo, ut vix quisquam  
 dubitare possit quin haud spernendam partem omnium civium  
 effecerint. Idem apparebit ubi scriptores sequioris aetatis  
 consuluerimus. Etiam tum, cum ordines enumerantur, agricolae  
 quoque commemorantur. Ut scribit Seneca: „Cui non ex alieno  
 incommodo lucrum? Miles bellum optat si gloriam, agricolam  
 annonae caritas erigit” <sup>8)</sup>; et alibi „Numquid instructus omnibus  
 rebus agricola ab alio instrui quaerit? Numquid armatus miles

<sup>1)</sup> Hor. Epist. I. 13. 12.

<sup>2)</sup> „ Carm. III. 18. 11.

<sup>3)</sup> Ovid. Fast. I. 665.

<sup>4)</sup> „ „ I. 667.

<sup>5)</sup> Tib. II. 1. 23.

Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni.

<sup>6)</sup> Tib. II. 2. 13.

<sup>7)</sup> Agricolarum praeterea mentio fit: Tib. II. 3. 7; 5. 83; 6. 21; IV. 1. 139;  
 Ovid. Fasti. II. 645; IV. 168, 407, 931; VI. 313; Med. Fac. 53 Metam. VII.  
 419; XV. 203, 373; Rem. Am. 189.

<sup>8)</sup> Sen. De Benef. VI. 38. 2.

quantum in aciem exituro satis est amplius arma desiderat?"<sup>1)</sup> Vocabula et dicta agricolarum laudantur: „...velamenta quae folliculos agricolae vocant"<sup>2)</sup>. „Modo sic, modo sic, inquit rusticus, varium porcus perdidit"<sup>3)</sup>. Aequè ac apud Ciceronem apud Senecam quoque exempla, quibus is suam argumentationem illustret, ex agricolarum arte sumuntur. „Quod interest inter metentem agricolam et serentem, hoc inter eum qui amicum paravit et qui parat"<sup>4)</sup>. — „Agricolas bonos imitabitur (sc. vir sapiens) qui non tantum rectas procerasque arbores colunt, sed lilis quoque, quas aliqua depravavit causa, adminicula quibus dirigantur adplicant"<sup>5)</sup>. — „... tamquam bonus agricola cura cultuque sterilitatem soli vincam"<sup>6)</sup> 7).

Semel de suo colono loquitur Seneca: „Non habet (in Albano meo) panem meus pictor, sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus"<sup>8)</sup>. Praedia sua locare tam solitum erat, ut id rursus tamquam exemplum laudari posset. „Conduxi domum a te. In hac aliquid tuum est, aliquid meum; res tua est, usus rei tuae meus est. Itaque nec fructus tanges colono tuo prohibente, quàmvis tua in possessione nascantur et si annona carior fuerit aut fames"<sup>9)</sup>. Alibi legimus: „Paterno agro et avito, inquit, expellor. Quid? ante avum tuum quis istum agrum tenuit? Cujus, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? Non dominus isto, sed colonus intrasti. Cujus

<sup>1)</sup> Sen. Epist. 109. 7.

<sup>2)</sup> Sen. De natur. quaest. V. 18. 2.

<sup>3)</sup> Petronius. Sat. 45. 1. cf. 47. 10, ubi Trimalchio et alia jactat et haec: „Gallum enim gallinaceum, penthiacum et ejusmodi nenias rustici faciunt: mei coci etiam vitulos aeno coctos solent facere.”

<sup>4)</sup> Sen. Epist. 9. 5.

<sup>5)</sup> Sen. De clem. II. 7. 5.

<sup>6)</sup> Sen. De benef. VII. 32.

<sup>7)</sup> cf. etiam: De benef. II. 11. 4. Perdet agricola quod sparsit sila bores suos destituet in semine... eadem beneficiorum condicio est. — ibid. IV. 10. 2. Dicitis, inquit, diligenter eligendos quibus beneficia demus, quia ne agricolae quidem semina arenis committant. — cf. ibid. IV. 37. 3. Expulsus bonis suis non ut rusticus injuriam tacitus tulit contentus quod non et ipse donatus esset....

<sup>8)</sup> Sen. Epist. 123. 1.

<sup>9)</sup> Sen. De benef. VII. 5. 2; cf. VI. 4. 3.

colonus es? si bene tecum agitur heredis" 1). Inde loqui potuit de milibus laboriosorum colonorum: „Adspice quot milia colonorum arent, fodiant 2). Si tecum reputas hanc exclamationem ejusdem esse a quo etiam celeberrimae illae voces de terrarum fame nusquam expleta sunt oriundae 3), facile apparet latifundia colonorum culturam minime expulisse. — Ex eodem tempore, sub Neronis imperio, extat narratio de Basso, stulto quodam viro, qui monente somnio in agris ejus pecuniam latere, diu fodiebat, a militibus et a turba agrestium adjutus 4). —

Aequalis erat Senecae, Columellam dico, qui denuo librum de agricultura conscripsit. Hispania erat ortus, sed „seine wirtschaftliche Schriftstellerei hat in erster Linie italische Verhältnisse zur Voraussetzung; Italien ist ihm das dankbarste Land für die Landwirtschaft" 5). Ei propositum est ut existimationem agriculturae valde diminutam („nunc et ipsi praedia nostra colere dedignamur et nullius momenti ducimus peritissimum quemque villicum facere" 6) ) augeat. Totum unum caput sui libri insumit in describenda genera hominum, quos ad opus rusticum adhibere oporteat, quod, quoniam maximi momenti est ad nostram inquisitionem, dignum est quod totum fere laudetur 7). „... Praecipua cura domini requiritur, cum in

1) Sen. Epist. 88.

2) Sen. Epist. 114. 25.

3) Vide pag. 89.

4) Tac. Ann. XVI. 3. Nam Bassus, effosso agro suo latisque circum arvis, dum . . . sequunturque non modo milites, sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia . . . pudorem et metum morte voluntaria effugit.

5) M. SCHANZ, Geschichte der röm. Literatur II. 2. p. 387. cf. MOMMSEN, Hermes XIX. p. 413 adn. 1. „Dasz Columella, obwohl Spanier von Geburt, zunächst die provinzielle Wirtschaft im Auge hat, kann nur behaupten, wer ihn nicht gelesen hat; er war italischer Gutsbesitzer (3, 9, 2) und hat überall (e. g. 3, 2, 20: in hac ipsa Italia) zunächst italische Verhältnisse und die Schriften der älteren italischen Agronomen vor Augen".

6) Colum. Praef. 12.

7) Columella. I. 7. cf. Varro. de re rust. I. 17. 2. Omnes agri coluntur hominibus servis aut liberis, aut utrisque: liberis, aut cum ipsi colunt, ut operi pauperculi cum sua progenie, aut mercenariis, cum conducticiis liberorum operis res majores, ut vindemias ac faenisicia administrant, iique quos obaeratos nostri vocitarunt, et etiam nunc sunt in Asia atque Aegypto et in Illyrico complures.



caeteris rebus, tum maxime in hominibus. Atque hi *vel coloni* vel servi sunt, soluti aut vincti. Comiter agat cum colonis, facilemque se praebeat, et avarius opus exigit quam pensiones; quoniam et minus id offendit et tamen in univsum magis prodest. Nam ubi sedulo colitur ager, plerumque compendium, nunquam (nisi si caeli major vis aut praedonis incessit) detrimentum affert, eoque remissionem colonus petere non audet. Sed nec dominus in unaquaque re, cui colonum obligaverit, tenax esse juris sui debet, sicut in diebus pecuniarum, ut lignis et caeteris parvis accessionibus exigendis, quarum cura majorem molestiam quam impensam rusticis affert. Nec sane est vindicandum nobis quidquid licet. Nam summum jus antiqui summam putabant crucem. Nec rursus in totum remittendum; quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala, foenerator Alpius dixisse verissime fertur. Sed et ipse nostra memoria veterem consularem virumque opulentissimum L. Volusium asseverantem audivi patris familias felicissimum fundum esse qui *colonos indigenas* haberet et tanquam in paterna possessione natos, jam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. Ita certe mea fert opinio rem malam esse frequentem locationem fundi: pejorem tamen urbanum colonum qui per familiam mavult agrum quam per se colere. Saserna dicebat ab ejusmodi homine fere pro mercede litem reddi, propter quod operam dandam esse ut et rusticos et eosdem assiduos colonos retineamus, cum aut nobismet ipsis non licuerit, aut per domesticos colere non expedierit: quod tamen non evenit, nisi in his regionibus quae gravitate caeli solique sterilitate vastantur<sup>1)</sup>. Caeterum cum mediocris adest et salubritas, et terrae bonitas, nunquam non ex agro plus sua cuique cura reddidit quam coloni, nunquam non etiam villici, nisi si maxima vel neglegentia servi vel rapacitas intervenit. Quae utraque peccata plerumque vitio domini vel committi vel foveri, nihil dubium est: cum liceat aut cavere ne talis praeficiatur negotio, aut jam praepositus, ut submoveatur curare. *In longinquis tamen fundis*, in quos

<sup>1)</sup> Varro. de re rust. I. 17. 2. De quibus universis hoc dico: Gravia loca utilius esse mercenariis colere quam servis.

non est facilis excursus patris familias, cum *omne genus agri tolerabilius sit sub liberis colonis* quam sub villicis servis habere. tum praecipue frumentarium quem minime (sicut vineas aut arbutum) colonus evertere potest . . .”<sup>1)</sup>. Quodsi autem in longinquis fundis magis conducit liberos colonos adhibere, dubium non est quomodo a possessoribus ingentium latifundiorum actum sit.

Post temporis intervallum denuo saepissime colonorum mentio fit apud Martialem. Invenimus in ejus carminibus colonum Argeium<sup>2)</sup>, colonum Paestanum<sup>3)</sup>, colonum Niliacum<sup>4)</sup>, colonum Paelignum<sup>5)</sup>. Priapus dicit se a rudi colono falce esse factum<sup>6)</sup>, in aliis quoque Priapeis carminibus de colonis sermo est<sup>7)</sup>. Dona natalia venator leporem, colonus haedum, priscator aquarum praedam affert<sup>8)</sup>. In Bajana villa adultae filiae colonorum dona matrum in sportulis domino offerunt<sup>9)</sup>. Res familiaris quae orta est possessionis fructibus dicitur: „res magna quam facit colonus”<sup>10)</sup>. Aliquoties colonus juxta vilicum memoratur<sup>11)</sup>. Et saepissime in universum ejus mentio fit<sup>12)</sup>. Aequalis quoquo ejus Stadius semel de Dicarcheis colonis loquitur<sup>13)</sup>.

Juxta librum Columellae imprimis Plinii epistulae maximi momenti sunt ad hujus aetatis culturae genus cognoscendum. De praediis suis quae multa habebat haud raro scribit. Operae

<sup>1)</sup> Vide etiam I. 6. 21. Quod ad villae pertinet situm partiumque ejus dispositionem satis dictum est. Circa villam deinceps haec esse oportebit: furnum et pistrinum *quantum futurus numerus colonorum postulaverit*.

<sup>2)</sup> Mart. IV. 57. 3.

<sup>3)</sup> „ IX. 26. 3.

<sup>4)</sup> „ X. 14. 6.

<sup>5)</sup> „ XIII. 12. 1.

<sup>6)</sup> „ VI. 73. 1.

<sup>7)</sup> Priapea 61. 1; 70. 1; 83. 4.

<sup>8)</sup> Mart. X. 87. 17.

<sup>9)</sup> „ III. 58. 39.

<sup>10)</sup> „ I. 17. 3.

<sup>11)</sup> „ II. 11. 9. nihil colonus vilicusque decoxit.

„ IV. 66. 11. vilica vel duri compressa est nupta coloni.

„ VII. 31. 9. quidquid vilicus Umber aut colonus.

<sup>12)</sup> „ III. 24. 4 et 10; IV. 64. 34; XI. 14. 1; 18. 17; XII. 59. 5; 76. 2; XIII. 12. 1; 15. 2.

<sup>13)</sup> Stat. Silvae. II. 2. 135.

pretium est observare haec per totam Italiam sparsa fuisse; habebat enim, quatenus ex epistulis colligi potest:

1. Laurentinum (I. 9. 4; 22. 11; V. 2. 1.), quod verbose describit epist. II. 17; amoenissimum quidem, sed parvo in reditu (nihil ibi possideo praeter tectum et hortum statimque harenas. IV. 6. 2.); hoc hieme inhabitabat (IX. 40. 1.).

2. Tuscos (IV. 1. 3; V. 18. 2), quos magna laude effert ep. V. 6; circa eos habebat praedia, ibi enim moranti querellae colonorum ei ferendae erant (IX. 15; 36. 6); in his otium aestatis exigebat (IX. 40. 1.).

3. Tusculanum (IV. 13. 1; V. 6.45.);

4. Tiburtinum (V. 6.45.);

5. Praenestinum (V. 6.45.);

6. villam Alsiensem (VI. 10.);

7. praedia vicina oppido Tiferni Tiberini (IV. 1.4.);

8. multa praedia circa patriam urbem Comum: ibi circumire se agellos suos semel scribit (V. 14.8.); in quo legendo cave putes hos exiguos fuisse; alibi enim apparet agellum, quem nutrici donaverat, centum milium nummum fuisse (VI. 3.); loquitur de „praediis circa Larium nostrum” (VII. 11. 5); unius ex his vectigali sumptus penduntur in alimenta ingenuorum ingenuarumque municipii sui (VII. 18); alibi quoque scribit se in litore lacus Larii multas villas habere. (IX. 7.2.). —

Apparet eum haec omnia colonis locavisse; saepissime enim loquitur de horum querelis quas accipere debebat. Ut legimus in epistula quadam ad Pontium: „... circumibam agellos, audiebam multum rusticarum querellarum, rationes legebam invitus”<sup>1)</sup>. Falconi scribit: „Refugeram in Tuscos, ut omnia ad arbitrium meum facerem; ad hoc ne in Tuscis quidem: tam multis undique rusticorum libellis et tam querulis inquietor, quos aliquanto magis invitus quam meos lego; nam et meos invitus”<sup>2)</sup>. Identidem cogitur remissiones concedere mercedis: „...continuae sterilitates cogunt me de remissio-

<sup>1)</sup> Plin. Epist. V. 14. 8.

<sup>2)</sup> Plin. Epist. IX. 15. 1.

nibus cogitare" <sup>1)</sup>). Trajanum veniam rogat XXX dierum ut uni ex praediis suis novum conductorem quaerat: „Agrorum . . . . quas in eadem regione possideo locatio, cum alioqui 400 excedat, adeo non potest differri ut proximam putationem novus colonus facere debeat" <sup>2)</sup>). Etiam in alia epistula loquitur de necessitate agrorum locandorum et de difficultate conductores ad id idoneas inveniendi <sup>3)</sup>). Alibi apparet — quod imprimis notandum est — inopiam esse servorum. Novos agros vult emere, inter suos jacentes, et quae obsint quaeque prosint secum reputat. Fertiles quidem sunt, sed imbecillitate domini fatigati sunt. Is enim, ut reliqua mercedis exigeret, saepe partem instrumentorum tamquam pignora vendiderat <sup>4)</sup>), quo reliqua ad tempus quidem minuerat, sed simul agricolis subsidia ademerat, quibus in posterum culturam continuarent, ita ut rursus reliqua crescerent. Fundi igitur omnibus rebus novis instruendi erant, quod eo difficilius erat, quod inopia erat servorum: neque ipse neque ibi quisquam habebat. Extabat penuria quoque colonorum ita ut tam reditus quam pretium agrorum retro abiisset <sup>5)</sup>). — Difficultas agros suos locandi causa erat ut novae locandi rationis periculum faceret. Adversus omnes remissiones tamen reliqua semper creverant; et quoniam fieri non potuit ut aliquando aes alienum suum solverent, neglegentes facti erant agricolae. Ad diligentiores autem culturam eos vult cogere eo quod efficere in animum inducit, ut in melioribus pejoribusve redditibus eorum ipsorum res agatur: pro certa enim pecunia posthac certam quandam partem fructuum exiget. Obstat quidem in hujusmodi locandi ratione, quod acri cura et custodia opus est, quoniam abundans est copia fallendi. Sed tamen periculum vult facere, quando-

<sup>1)</sup> Ep. Plin. et Traj. 8. 5. cf. Epist. VII. 30. 3. Accedunt querellae rusticorum, qui auribus meis post longum tempus suo jure abutuntur.

<sup>2)</sup> Ep. Plin. et. Traj. 8. 5.

<sup>3)</sup> Plin. Epist. VII. 30. 3. Instat et necessitas agrorum locandorum perquam molesta: adeo rarum est invenire idoneos conductores.

<sup>4)</sup> cf. C. J. IV. 65. 5. Certi juris est ea, quae voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris jure dominis praediorum teneri.

<sup>5)</sup> Plin. Epist. III. 19. 5.

quidem talis ratio, in qua lucrum damnumve pariter in utrosque divisa sunt, justior quoque videtur <sup>1)</sup> <sup>2)</sup>. —

Etiam ex comparatione quadam, qua utitur Plinii aequalis et familiaris Tacitus, apparet quam notum et solitum fuerit agros locare: in descriptione Germaniae narrat ibi servos rusticos non per familias haberi, sed suam quemque sedem habitare; in hac certus modus frumenti aut pecoris aut vestis a domino ei imperatur, *ut in Italia colono* <sup>3)</sup>.

In fabulis Apuleji, postremo, item saepe agricolae occurrunt. Legimus apud eum de „paganis” <sup>4)</sup>, de „multis colonis” <sup>5)</sup>, de „coetu rusticorum” <sup>6)</sup>, de „villae colonis” <sup>7)</sup>, et sic alibi <sup>8)</sup>.

Quodsi, uti ex hisce omnibus apparet, agros locare res fuit tam usitata, mirandum non est talis locationis saepissime mentionem fieri in fontibus juris. Agitur de ea in Dig. XIX. 2. (locati, conducti) et Cod. Just. IV. 65. (de locato conducto). Locatio conductio contrahitur pacto quodam, quae plerumque lex locationis <sup>9)</sup>, nonnunquam lex conductionis <sup>10)</sup> dicitur; Varro loque-

<sup>1)</sup> Plin. Epist. IX. 37. 1. .... praesertim cum me necessitas locandorum praediorum plures annos ordinatura detineat, in qua mihi nova consilia sumenda sunt. Nam priore lustro, quamquam post magnas remissiones, reliqua creverunt; inde plerisque nulla jam cura minuendi aeris alieni, quod desperant posse persolvi; rapiunt etiam consumuntque quod natum est, ut qui jam putent se non sibi parcere. Occurrendum ergo augescentibus vitiis et medendum est. Medendi una ratio, si non nummo sed partibus locem ac deinde ex meis aliquos operis exactores custodes fructibus ponam; et alioqui nullum justius genus redditus quam quod terra caelum annus refert. Ad hoc magnam fidem, acres oculos, numerosas manus poscit: experiendum tamen et quasi in veteri morbo quaelibet mutationis auxilia temptanda sunt. —

<sup>2)</sup> Praeterea colonorum etiam mentio fit: Panegyri. 31. et Plin. et Traj. epist. 41. (in agris magna copia est hominum).

<sup>3)</sup> Tac. Germ. 25. Ceteris servis non in nostrum morem, discriptis per familiam ministeriis, utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono injungit.

<sup>4)</sup> Apul. Metam IV. 3; VIII. 23; IX. 10.

<sup>5)</sup> " " V. 17.

<sup>6)</sup> " " VII. 23.

<sup>7)</sup> " " VIII. 17.

<sup>8)</sup> " " VII. 26; VII. 15; VIII. 29; 31.

<sup>9)</sup> L. 9. § 3. Dig. XIX. 2; L. 24. XIX. 2.

<sup>10)</sup> L. 16. C. J. IV. 65.

batur de lege colonica<sup>1)</sup>. Locator obstringit se alteri agrum colendum et utendum dare, conductor summam pactam solvere. Haec merces appellatur<sup>2)</sup>, singulae autem solutiones: pensiones<sup>3)</sup>; plerumque pecunia solvitur atque certis diebus, diebus pecuniarum<sup>4)</sup>. Locatio conductio contrahitur in certum tempus, plerumque, ut apparet ex exemplis juris peritorum, in quinquennium<sup>5)</sup>. Utrisque tacentibus eadem locatio permanere putatur<sup>6)</sup>. Qui fundum locat locator dicitur, qui conducit conductor vel colonus. — Omnium singularum rerum conspectum dare nostro proposito parum necesse videtur; satis est ostendere in Digestis sexcenties de locatione et conductione agi<sup>7)</sup>.

Postremo ex tertio quoque fonte, ex quo scientia nostra antiquitatis hauritur, inscriptiones volo, cognoscimus colonos extitisse<sup>8)</sup>. Legimus de Marso quodam F. Alfeno Attico „colono fundi Tironiani, quem coluit ann. L.”; de C. Vergilio Martano, „colono agri Caeli aenii,” hujusque uxore Amilena Certa „colona agri s(upra) s(cripti) anorum XXII”; de agricolis Puteolensibus Africanio Felice „coluit ann. XXIII” et Q. Insteio Diadumeno „coluit ann. XXXV”. „Man wird also... auch aus diesen

<sup>1)</sup> Varro. de re rust. I. 2. 17.

<sup>2)</sup> L. 2. Dig. XIX. 2. Ut emptio et venditio contrahitur si de pretio convenit, sic et locatio et conductio contrahi intellegitur, si de mercede convenit.

<sup>3)</sup> L. 9. § 1. Dig. XIX. 2. Sed an ex locato teneatur conductor ut pro rata temporis, quo fructus est, pensionem praestet, Marcellus quaerit.

<sup>4)</sup> Vide supra (p. 106.) Colum. I. 7. 2; etiam L. 20. C. J. XI. 48 loquitur de „solutis temporibus”.

<sup>5)</sup> L. 9 § 1; 13. § 11; 24. § 2. Dig. XIX. 2. Plin. Epist. IX. 37. 2.

<sup>6)</sup> Ll. 13, 14. Dig. XIX. 2; L. 16. C. J. IV. 65.

<sup>7)</sup> Dig. II. 14. 56; V. 3. 29; VI. 1. 77; VII. 1. 34. § 1; IX. 2. 27. § 11, § 14; X. 3. 7. § 11; XI. 7. 14. § 1; XII. 1. 4. § 1; 2. 28. § 6; XVII. 2. 46; XIX. 1. 13. § 30, 49; 2 passim; XX. 1. 21, 32; 4. 11, § 2; 6. 14; XXIV. 3. 7. § 3; XXVI. 7. 46; XXXII. 78. § 3; 91. § 1; 97; 101. § 1; XXXIII. 1. 21; 2. 30. § 1, 32. § 7, 42; 4. 1. § 15; 7. 12. § 3, 20. § 1, § 3, 24, 27. § 1, § 2; XXXIV. 3. 18; XXXIX. 3. 4. § 2, 5; 4. 16. § 11; XL. 7. 40; XLI. 1. 44; 2. 25. § 1, 30. § 5, § 6, 31, 37, 40. § 1, 44. § 2, 45; 3. 31. § 3, 33. § 1; 5. 2. § 1; XLIII. 16. 1. § 10, § 22, 12, 18, 20; 19. 1. § 11, 3. § 4; 24. 11. § 12, 12, 13. § 6, § 7; 26. 6. § 2; 32. 1. § 1; 33. 1. § 1. § 2; XLIV. 7. 34. § 2; XLV. 1. 89; XLVI. 1. 52. § 2, 58; XLVII. 2. 14. § 2, 26. § 1, 51. § 8, 61. § 8, 67. § 5, 82. § 1; 7, 9; 10. 5. § 4; XLIX. 14. 50; L. 1. 17. § 10, 38. § 1; 5. 1. § 2; 6. 5. § 11; 8. 3. § 1; 15. 4. § 8. 8. § 7.

<sup>8)</sup> Exempla quae sequuntur sumpta sunt ex Mommsenii commentatione Hermes XV. p. 408.

wenigen Inschriften folgern dürfen, was jede von anderer Seite her geführte Untersuchung bestätigt, dasz ein beträchtlicher Teil der Bevölkerung Italiens und des römischen Reiches überhaupt noch in der Kaiserzeit aus solchen Zeitpächtern bestanden hat" <sup>1)</sup>). *Supra vidimus hanc sententiam inquisitione in scriptores facta re vera omnino confirmari.*

*In historia conscribenda facta pauca, sed ea nihil dubii relinquentia, magis valent quam multae disputationes in univ-ersum editae, quae, minore majoreve probabilitate tantum nisae, nunquam plus quam minorem majoremve similitudinem veri sibi vindicare possunt. Quodsi autem in nostra re id ipsum firmis testimoniis aequalium pro certo est constitutum, colonorum culturam nunquam omnino servorum labori cecidisse, licet hujus rei causas investigare atque brevibus verbis eloqui.*

*Praecipua profecto haec est rationem permagnos agros colendi certis tantum condicionibus adhiberi posse ita ut majus lucrum inde evadat. Quo hodierna magna cultura, quatenus parvam depellit, huic antecellit, id est, quod in ea machinae adhiberi possunt quae et temporis et virium compendium faciunt. Patet autem hoc commodum romanae latifundiorum culturae non proprium fuisse: instrumentorum enim subsidia in agricultura per longa saecula eadem permanserunt et simplicissima tantum in usu erant <sup>2)</sup>. Cum igitur nostris temporibus ratio rerum promercialium in magnis officinis per opificum multitudinem fabricandarum („grootindustrie“) altiorem gradum repraesentet in bonorum procreatione quam industria in rebus manu faciendis à liberis hominibus singillatim exercitata („kleinindustrie), id minime valet de aetate romana; haud magis quam labor, quem in carceribus captivi perficiunt, hac industria lucrosior habetur <sup>3)</sup>. — Eo accedit, quod alterum quoque commodum*

<sup>1)</sup> MOMMSEN, l. c. p. 409.

<sup>2)</sup> „Ist doch das Streichbrett am Pfluge niemals allgemein zur Herrschaft gelangt und der antike Pflug nach Sombarts Beobachtungen in der Campagna noch heute in Gebrauch.“ WEBER, l. c. p. 222.

<sup>3)</sup> K. KAUTSKY, Die Vorläufer des neueren Sozialismus. p. 18. „Den industriellen (et de agrorum cultura idem valet) Groszbetrieb mit Sklavenarbeit darf man nicht mit Fabriken vergleichen, sondern höchstens, wenn

illius magnarum officinarum rationis, quod consistit in coartatione mercium procreationis, qua impendia diminuuntur, etiam a possessoribus romanis adhiberi potuit ac re vera adhibita est salva locationis ratione. Luculenter id apparet ex utilissima Plinii epistula, in qua amicum consulit de emptione praedii, cujus partes jam ipsius agris inclusae sunt. Incipit commoda enumerare, in quibus legendis animadvertas quaeso ejus praedia, ut supra vidimus, colonis locata esse. „Sollicitat primum ipsa pulchritudo jungendi, deinde quod non minus utile quam voluptuosum posse utraque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem procuratore ac paene isdem actoribus habere, unam villam colere et ornare, alteram tantum tueri. Inest huic computationi sumptus suppellectilis, sumptus atriensium, topiariorum, fabrorum atque etiam venatorii instrumenti; quae plurimum refert unum in locum conferas an in diversa dispergas”<sup>1)</sup>. Idem apparet ex fontibus juris: Ulpianus quaerit, si quis eodem instrumento in plurimis agris utatur, cujus agri sit instrumentum<sup>2)</sup>; alibi loquitur de „artificibus, quorum operae ceteris quoque praediis exhibebantur”<sup>3)</sup>.

Quodsi igitur magna bonorum procreatio per manuum multitudinem facta apud Romanos expers erat utilitatum, quibus hodierna praevallet, praeterea hoc detrimentum habebat, quod materiam humanam, quae ad laborem adhiberetur, in servis tantum invenire poterat; atque experientia semper docuit servorum laborem parum lucrosus esse propter eorum negligentiam. „Der Arbeiter soll sich hier (i.e. in der auf Sklaverei gegründeten Produktion) nach dem treffenden Ausdruck der Alten, nur als instrumentum vocale von dem Thier als instrumentum semivocale und dem todten Arbeitszeug als instrumentum mutum unterscheiden. Er selbst aber lässt Thier und Arbeitszeug fühlen, dass er nicht Ihresgleichen, sondern ein

---

man eine moderne Erscheinung zum Vergleich heranziehen will, mit der Gefängnisarbeit. Niemand wird behaupten wollen, dass diese dem freien Handwerk gegenüber eine höhere Produktionsweise darstellt.”

<sup>1)</sup> Plin. Epist. III. 19. 2.

<sup>2)</sup> L. 12. § 14. Dig. XXXIII. 7.

<sup>3)</sup> L. 12. § 42. Dig. XXXIII. 7.



Mensch ist. Er verschafft sich das Selbstgefühl seines Unterschieds von ihnen, indem er sie misshandelt und con amore verwüstet" <sup>1)</sup>). Hanc experientiam etiam antiquis notam fuisse apparet ex consilio Columellae, suadentis ut longinqua praedia locentur. „In longinquis tamen fundis, in quos non est facilis excursus patrisfamilias, cum omne genus agri tolerabilius sit sub liberis colonis quam sub villicis servis habere, tum praecipue frumentarium, quem minime (sicut vineas aut arbustum) colonus evertere potest, et maxime vexant servi, qui boves elocant eosdemque et cetera pecora male pascunt, nec industrie terram vertunt, longeque plus imputant seminis jacti quam quod severint; sed nec quod terrae mandaverant sic adjuvant, ut recte proveniat; idque cum in aream contulerunt, per trituram quotidie minuunt vel fraude vel negligentia. Nam et ipsi diripiunt, et ab aliis furibus non custodiunt, sed nec conditum cum fide rationibus inferunt. Ita fit ut et actor et familia peccent, et ager saepius infametur. Quare talis generis praedium, si, ut dixi, domini praesentia cariturum est, censeo locandum" <sup>2)</sup>). Et qui agros vult emere, id in vicinia facere debet. „Nam qui longinqua, ne dicam transmarina rura mercantur, velut haeredibus patrimonio suo, et quod gravius est, vivi cedunt servis suis; quoniam quidem et illi tam longa dominorum distantia corrumpuntur, et corrupti post flagitia, quae commiserunt, sub expectatione successorum, rapinis magis quam culturae student" <sup>3)</sup>). Atque hoc malum eo gravius erat quoniam debilitate instrumentorum mutorum multo majore numero instrumentorum vocalium opus erat: ad eundem enim agrum et idem opus triplo fere pluribus operis opus erat quam hodie <sup>4)</sup>).

Adversus haec incommoda magnae culturae — quod instrumenta habebat non meliora, et genere operarum erat deterior — commoda quaedam possunt enumerari, quibus fieri potuit ut aliquamdiu atque partim in agricultura regnaret. Primum hoc

<sup>1)</sup> MARX, Das Kapital I. <sup>4</sup> p. 159. adn. 17.

<sup>2)</sup> Colum. I. 7. 6.

<sup>3)</sup> Colum. I. 1. 20.

<sup>4)</sup> W. ROSCHER. Ansichten der Volkswirtschaft aus dem geschichtlichen Standpunkte. ed. altera p. 16, 17; laud. apud. QUACK, de Socialisten. I. p. 42.

est, quod servi militia vacabant. Cum liberi coloni saepe cum maxima incommoditate ab opere suo avocarentur nonnunquam ut in longinquis terris mererentur, hac re servi agricolis valde praestabant et aemuli metuendi erant<sup>1)</sup>. Majoris autem momenti est quod servi parvo pretio poterant comparari atque ali. Servi rustici venibant pretio, quod fere aequandum est cum summa 500 vel 1000 nummorum qui hodie marci dicuntur, et cum pretia tam exigua essent, eorum vita profecto parvi aestimabatur neque ad victum multum impendebatur<sup>2)</sup>. Simulac haec jam aliter se habere coeperunt, etiam condiciones, quibus magna cultura existere poterat, dilabebantur. Illud commodum autem, quod supra priore loco posui, evanescere coepit quo tempore tironum praebitio, quae possessoribus tamquam tributum erat imperata, (vid. p. 72) certis nummis redimi poterat. Alterum deinde, vilis illa subvectio ingentium copiarum servorum, cessavit una cum bellis nationum subigendarum causa gestis<sup>3)</sup>. Oriebatur inopia operarum rusticarum. Crebrae narrationes de rapinis hominum sub Augusto et Tiberio<sup>4)</sup> ostendunt nobis possessores inhiantes et insidiantes operariis. Plinius, ut supra vidimus, servos non habebat quibus novum praedium instrueret, neque ibi quisquam. Est enim experientia omnium aetatum, in quibus servi habiti sunt, servos non idoneos esse ad semet ipsos complendos, sed semper novis subvectionibus externis opus esse ne exstinguantur<sup>5)</sup>. Quo pluris autem servi denuo fiebant,

<sup>1)</sup> ED. MEYER, Die wirtsch. Entw. des Altertums. p. 71. adn. 1. Die Dienstpflicht wirkte mit dem Kapitalismus zusammen um die freie Bauernschaft zu ruinieren.

<sup>2)</sup> DR. KARL HOFFMEISTER, Die wirtsch. Entw. Roms. p. 41. Im Altertum liegt das einzige Uebergewicht der Sklavenarbeit über den freien Kleinbetrieb in jenen permanent niedrigsten Produktionskosten.

<sup>3)</sup> ZUMPT, Ueber die Entstehung und hist. Entw. des Colonats. Rhein. Museum. III. (1845) p. 6. Bestimmte Zeugnisse über die Abnahme der Sklaven lassen sich zwar nicht anführen, ebensowenig wie über ihre Zahl und Zufuhr in früheren Zeiten; doch aus den angegebenen Umständen lässt sich mit Sicherheit schlieszen, dasz der Ackerbau auch in den Gegenden, wo er vorzugsweise durch Sklaven betrieben wurde, durch die Abnahme dieser bedeutend gehindert werden muszte.

<sup>4)</sup> Suet. Aug. 32; Tib. 8.

<sup>5)</sup> F. HERZ, Moderne Rassentheorien. p. 215. Der Grund hiefür liegt 1° in

eo gravius erat damnum si morerentur: idcirco Varro suavit ut in locis insalubribus liberi operarii adhiberentur. Favebant possessores liberorum procreationi et praemia ad eam rem promovendam proponebant<sup>1)</sup>, postulabant ab vilico saltem ut stabile matrimonium iniret<sup>2)</sup>, quo exemplo ostenditur necessitatem oeconomicam hac in re meliores mores attulisse. Omnes hae rationes igitur demonstrant laborem servorum minime usitatum atque vulgatum esse potuisse<sup>3)</sup>.

Quodsi his argumentis probabile est factum culturam in qua servi adhibebantur nunquam solam in latifundiis regnare potuisse, ea quoque opinio, secundum quam in Italia agricolae et re pecuaria et eo quod agri inculti manebant, depulsi esse putantur, nullo modo recta esse potest. Putavit HEISTERBERGK in Italia ingentia illa latifundia non orta esse propter causas oeconomicas, ut possessores redditus suos auferant, sed tantum ex ipsa cupidine jungendi. „Stolz, Uebermuth, Herrschsucht, militärische, nicht

---

der sehr geringen Zahl weiblicher Slaven, die ja nur einen minderen Arbeitswert haben; 2° in der wohlbekanntten Thatsache dasz Promiskuität unfruchtbar macht; 3° in der schlechten Behandlung der Sklaven. cf. A. LORIA. Die Sklavenwirtschaft im Altertum. Zeitschrift für Soz. u. Wirtsch. gesch. 1896.

<sup>1)</sup> Colum. I. 8. 19. Foeminis quoque foecundioribus, quarum in sobole certus numerus honorari debet, otium nonnunquam et libertatem dedimus, cum complures natos educassent. Nam cui tres erant filii, vacatio, cui plures, libertas quoque contingebat. Haec enim justitia et cura patris familias multum confert augendo patrimonio.

<sup>2)</sup> Colum. I. 8. 5. Sed qualicunque villico contubernalis mulier assignanda est, quae contineat eum et in quibusdam rebus tamen adjuvet. cf. Varro. I. 17. 5: dandaque opera, ut habeant peculium, et conjunctas servas, e quibus habeant filios. Vide WEBER, p. 239 et 274.

<sup>3)</sup> cf. ED. MEYER, l. c. p. 71. Der beste Beweis, dasz die Sklaverei beim Niedergang des Altertums nicht die Rolle gespielt hat, die man ihr zuschreibt, liegt darin, dasz es eine Sklavenfrage niemals gegeben hat, dasz Sklavenaufstände von irgend welcher Bedeutung niemals vorgekommen sind, . . . dasz die Sklaverei vielmehr von der Kaiserzeit bis zum Beginn der Neuzeit ganz allmählig abstirbt, und zwar ausschliesslich durch die Umgestaltung der wirtschaftlichen Verhältnisse. — Ingentes turbas servorum extitisse nemo, credo, negabit. Quantus fere numerus fuerit servorum, quantus autem colonorum liberorum, nullo modo cognoscere possumus iis temporibus quibus statisticae disciplina nondum erat orta. Id tantum affirmare licet nunquam servorum laborem unice regnavisse, ne in latifundiis quidem. Saepe quoque coloni, quatenus non erant pauperrimi, ope servorum agros suos colebant ita ut ambae colendi rationes altera juxta alteram extarent.

kaufmännische Leidenschaften waren die Triebfedern (Colum. I. 3. 11. Quia superbum videbatur tantum loci detinere); die Anhäufung des Grundbesitzes erfolgte ohne Rücksicht auf die Möglichkeit der Bewirtschaftung. . . . Der Zusammenhang der Verhältnisse ermöglichte den römischen Latifundienbesitzern hinsichtlich ihres Grundbesitzes das Beiseitestellen der wirtschaftlichen Rücksichten; ihr Verhalten war dasjenige von Leuten, deren Haupteinnahmen aus anderen Quellen fließen als aus den Erträgen der von ihnen bewohnten Güter. An dieser Stelle genüge der Hinweis auf die Mittel zur raschen Bereicherung, welche der Antheil an der Kriegsführung und Reichsverwaltung den römischen Senatoren und Rittern bot, insbesondere auf die Einnahmequelle, welche der Ritterstand bis zur Zeit des Augustus in der ihm zustehenden Steuerpacht und in den an diese sich knüpfenden Geldgeschäften gefunden hatte" <sup>1)</sup>.

Vix opus erit demonstrare hisce verbis vim illius „pulchritudinis jungendi" ingenti modo in majus esse elatam. Ut possessores sola luxuria adducti, ut venationis copia esset, vel superbia tantum permoti, vastos agros coemerent, quos dein incultos relinquerent, hic et illic fortasse accidit, sed profecto non tali modo tota aliqua terra deserta fit et expers cultorum. Id validiores tantum et oeconomicae causae efficere possunt. Sic cum in fine saeculi XV<sup>i</sup> et initio XVI<sup>o</sup> in Britannia omnes fere agri in pascua mutarentur, hujus rei causa erat quod in Flandria lanae fabricatio maxime florebat illo tempore et proinde lanae pretia valde creverunt, quare quaestuosum fiebat oves alere; tunc accidit illud „Bauernlegen" <sup>2)</sup>. Hujusmodi valida causa pro agricultura italica nunquam valuit; — aemulatio illa frumenti externi saepe in falsum est exaggerata: proprio usui agricolae itali semper ipsi consuluerunt <sup>3)</sup>; — revera res pascuaria (Weidewirtschaft) non nisi partes quasdam Italiae complectebatur, imprimis Apuliam <sup>4)</sup>. —

<sup>1)</sup> HEISTERBERGK, l. c. p. 67.

<sup>2)</sup> Vide MARX, Das Kapital. I<sup>4</sup> p. 684.

<sup>3)</sup> WEBER, l. c. p. 224. Die Lokalmärkte waren für die auswärtigen Zufuhren unzugänglich und deshalb ein regelmässiger, nicht groszer, aber stetiger Absatz auch für Getreide der Landwirtschaft gesichert.

<sup>4)</sup> WEBER, l. c. p. 228 . . . . denn thatsächlich sind nur Teile Italiens für

Hae observationes generales tamen ut ita dicam fine carerent, nisi postremo ei quaestioni responderetur, quid tandem voluerit nota illa Plinii majoris sententia, latifundia Italiam perdidisse <sup>1)</sup>. ROBERTUS existimavit eum spectavisse ad rationem magnos agros *colendi* ejusque eventum: liberorum agricularum exactionem. Supra vidimus hanc opinionem non recte sese habere. HEISTERBERGK credit Plinium cogitavisse de ratione magnos agros *possidendi* vel accuratius ad possessionem immunem, quam effecisse putavit ut agri aut in pascua mutarentur aut inculti manerent. Vidimus etiam hanc sententiam minime in universum valere. Tertia autem explicatio, eaque me iudice verissima, data est a viro cl. MOMMSEN <sup>2)</sup>. „Der tüchtige Mann hat bei diesen unwilligen Worten nicht zunächst den Gegensatz der freien und der unfreien Feldarbeiter im Sinn, sondern wenn nicht allein, so doch hauptsächlich den der ansässigen Kleinbauern und der eigenthumlosen Kleinpächter. Wie viel dabei Realität und wie viel Phrase ist, soll hier nicht untersucht werden; der Satz ist kein nationalökonomisches Evangelium, sondern eine Kundgebung der idealen Auffassung der früheren Republik im Gegensatz zu dem späteren verfallenden Gemeinwesen, wie sie der römischen Betrachtung geläufig ist” <sup>3)</sup>. Observare licet etiam hodie tumide dicta qualia sunt „interitus societatis humanae” et hujusmodi alia, propter diversissimas res usurpata, imprimis ab laudatoribus temporis acti, minime rara esse, — grandia verba, quibus nihilominus veritas male respondet. —

---

eine solche Wirtschaftsweise geeignet, im Altertum namentlich Apulien, und wir finden dort und in den calles, den Triften in den mittelitalischen Gebirgsketten, in der That wandernde Hirten mit gewaltigen Viehherden, ganz wie noch heute. — cf. ED. MEYER, Bevölkerungswesen, Handwörterbuch der Staatsw. II<sup>2</sup>. p. 679. — Notatu dignum est, etiam Caesarem conatum saltem esse perficere ut in re pecuaria tertia pars pastorum libera esset. (Suet. Caes. 42 . . . .neve ii, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.) Traditur etiam in legibus Lic. Sextii a. 367 aliquid statutum fuisse de modo servorum.

<sup>1)</sup> Plinius. Nat. hist. XVIII. 7.35. Verum confitentibus latifundia perdere Italiam, jam vero et provincias.

<sup>2)</sup> Etiam accepta est a viro cl. SCHULTEN, Die röm. Grundh. p. 125.

<sup>3)</sup> MOMMSEN, Hermes XIX. p. 416.

## C A P U T III.

---

### DE COLONATUS ORIGINE.

Quodsi, ut supra denuo est fuse demonstratum, primis quoque saeculis imperii romani, eo igitur tempore, quo nondum extabat adhaerentia lege sancta, colonorum cultura nusquam evanuit, quaestio de colonatus origine hujusmodi fit, qua ratione liberi coloni sive conductores, quales ex Digestis cognovimus, progressi sint ad colonos adhaerentes, quibus imperatorum leges usque a Constantino occupatae sunt. Hujus progressus singula momenta observare nobis facilius est factum, postquam inscriptions, imprimis in Africa inventae, quae provincia maxime abundabat latifundiis, nos docuerunt de genere quodam colonorum, qui sine dubio in condicione transitoria vivebant.

Horum omnium prima, cujus nobis ratio est habenda, inventa est, in quattuor lapidis lateribus incisa, in pago Suk el Khmis in via. quae Carthagine ducit Bullam <sup>1)</sup>. Continet petitionem colonorum saltus Burunitani, unius ex magnis possessionibus imperatoriis, ad Commodum directam, et simul hujus rescriptum; conscripta est intra annos 180 et 183. Agricolaе qui ipsi se vocant „rusticos tuos vernulas et alumnos” <sup>2)</sup> et „homines rusticos tenues manuum nostrarum operis victum tolerantes” <sup>3)</sup> queruntur de conductore Allio Maximo, qui priores querelas

---

<sup>1)</sup> C. I. L. VIII. 10579. TH. MOMMSEN. Decret des Commodus für den saltus Burunitanus. Hermes XV. (1880) p. 385 et 478; vide etiam FUSTEL DE COULANGES. Le colonat romain. Recherches e.q.s. p. 25.

<sup>2)</sup> III. 28.

<sup>3)</sup> III. 19.

minime curaverat, immo milites arcessiverat et alios in vincula conjici et male mulcari, nonnullos etiam cives Romanos virgis caedi jusserat, hanc tantum ob causam, quod ante de eo expostulaverant cum imperatore, cujus auxilium nunc denuo invocant. Petunt ne procuratoribus nedum conductori liceat „partes” suas „agrarias” vel „operarum praebitionem jugorumve” (hand-en spandiensten) ad arbitrium augere, sed ut, secundum eam partem legis Hadrianae „in aere incisae” quae huc pertineat, hae „binae aratoriae, sartoriae, messoriae operae annuae” maneant.— Rescripsit Commodus posthac non plura postulari licere quam in „perpetua forma” esset constitutum. —

Ex his colonorum genus quoddam cognoscimus in condicione multis in rebus diversa a colonis, de quorum jure fontes juris tam multa tradiderunt praecepta. In iis, quae sequuntur, hac inscriptione cum nonnullis aliis comparata <sup>1)</sup>, illa discrimina deinceps enumerabuntur et explicabuntur. Id autem in univ-ersum observandum est, quamvis inter se differant, hac una re tamen convenire eos: et ceteri coloni et ii, de quibus nunc agitur, homines sunt *liberi*; occurrunt inter eos cives Romani <sup>2)</sup>.

Omnium primum discrimen id est, quod inter onera colonorum non memoratur merces (pachtsom), sed partes agrariae. Ea pars, in qua de his agitur, hujusmodi est: „Ut kapite legis Hadriane, quod supra scriptum est, ademptum est, ademptum sit jus etiam proc(uratoribus), nedum conductori, adversus colonos ampliandi partes agrarias aut operar(um) praebitionem jugorumve” <sup>3)</sup>. MOMMSEN putabat illud „partes agrarias” in univ-ersum dictum esse et idem significare atque ea quae sequuntur „operas et juga”; vertebat igitur: „Ackerfrohnden und zwar theils Hand-

<sup>1)</sup> C. I. L. VIII. 14428. (inventa in Gasr Mezuar).

BRUNS, Fontes. <sup>6</sup> p. 383. (inventa in ara apud Ain-Wassel). A. SCHULTEN, Die Lex Hadriana de rudibus agris. Hermes XXIX. (1894). p. 204. J. TOUTAIN, L'inscription de Henchir Mettich. Nouv. Revue hist. de droit franç. et étr. XXI. (1897) p. 373. — A. SCHULTEN, Die lex Manciana. 1897. — ED. CUQ, Le colonat partiaire dans l'Afrique romaine d'après l'inscription d'Henchir Mettich. 1897. — O. SEECK, Die Pachtbestimmungen eines römischen Gutes. Zeitschrift f. Soz. und Wirtschaftsgesch. VI. (1898). p. 305.

<sup>2)</sup> II. 14. nonnullos etiam cives Romanos.....

<sup>3)</sup> III. 4-9.

theils Spanndienste" <sup>1)</sup>); FUSTEL arbitrabatur eas esse partem messis <sup>2)</sup>, et haec opinio vera est habenda atque ab omnibus fere est probata; etenim in inscriptionibus quibusdam postea inventis apud Ain-Wassel et Henchir Mettich sermo est de partibus fructuum, quas coloni debebant conferre, iisque plerumque tertiis partibus <sup>3)</sup>. Itaque luculenter hic dicitur non de solita locatione ad nummos numeratos, sed de colonia partiarum <sup>4)</sup>. Fuit imprimis FUSTEL DE COULANGES qui huic rei magnam vim tribueret, quoniam id putabat proprium et peculiare esse illius commutationis qua „les fermiers par contrat" facti sunt ii, quos vocat proprio sensu colonos, eos scilicet, qui non publico jure, sed jure privato solo erant adstricti. Quam sententiam hoc fere modo probare conatus est <sup>5)</sup>: Ex epistulis Plinii apparet colonos saepe reliqua mercedis debere; etiam in Digestis haud raro de reliquis colonorum fit mentio, quae ad fundum pertinere existimabantur; legabatur enim nonnunquam fundus cum reliquis colonorum <sup>6)</sup>. Eam ob causam Plinius periculum fecit novae locandi rationis: in locum locationis nummariae adhibuit (vide p. 109.) Hujusmodi autem coloni per debita sua

<sup>1)</sup> l. c. p. 402.

<sup>2)</sup> FUSTEL DE COULANGES, l. c. p. 39. Les parties agrariae sont une part de la récolte; une loi du code Theodosien (VII. 20. 11.) designe la même chose par le mot agraticum et ajoute que c'est ce que le propriétaire reçoit au temps de la moisson.

<sup>3)</sup> SCHULTEN, qui primo (Hermes XXIX p. 223 et 229) ad sententiam viri cl. FUSTEL se applicaverat, postea (Die lex Manciana, p. 21 adn. 2) ad MOMMSENII opinionem rediit, cujus rei causam affert ea quae observata sunt a viro cl. KORNEMANN (Berl. Phil. Wochenschrift 5 Juni 1897 Sp. 917) nempe in Commodi decreto ceteroquin de operis tantum neque de quotis partibus messis sermonem esse. Quam sententiam autem non probandam esse censeo. Operas partes agrarias dici et per se vix intellegi potest et nullo alio loco confirmatur. Contra partium agrariarum appellatio pro parte messis et per se clara est et praeterea explicatur hujusmodi enuntiatis in aliis inscriptionibus. In ea quae reperta est apud Henchir Mettich dicitur: ex fructibus . . . partes praestare (I. 9) et pars agricularum vocatur: partes colonicae (I. 15 et 18). Quominus ambo enuntiata aequiparentur obstat etiam ipse textus, ut opinor: „ampliandi partes agrarias aut operarum praebitionem jugorumve" (neque: ampl. part. agr. sive operas jugave).

<sup>4)</sup> Jam Cato (de re rustica 16 et 137) loquitur de „partiarum".

<sup>5)</sup> FUSTEL, l. c. p. 14-25.

<sup>6)</sup> Dig. XXXIII. 7. passim.



domino et solo adstricti manent; praeterea in deteriore conditione sunt quam reliqui coloni, quoniam lex locationem partiarum ignorat neque moderatur; hujus enim semel tantum mentio fit in Digestis<sup>1)</sup>. Postremo loco in colonia partiarum acriore custodia opus est; Plinius scribit se ad id nonnullos suorum (i. e. servorum) indicaturum, qua re quoque colonus deterioris fit conditionis: „il dépend, non seulement du maître, mais même des esclaves du maître”<sup>2)</sup>. Ceteroquin hoc genus colonorum, qui reliquorum debitis solo adstricti essent, jam diu ante Plinium extabat; ii sunt quos Varro in notissimo loco „obaeratos” vocabat<sup>3)</sup> et Columella „occupatos nexu civium”<sup>4)</sup>. —

Ut initium faciam ab illo quod extremum dixit: prorsus nulla est causa, cur cum viro cl. FUSTEL putemus — et ipse id nonnisi „fort vraisemblable” vocare potest — obaeratos illos et occupatos nexu civium praesertim colonos habendos esse qui in aes alienum incidissent et hanc ob causam solo adstricti essent facti<sup>5)</sup>. Sed etiam ejus opinioni de origine et indole locationis partiarum multa obstant.

1. In nonnullis inscriptionibus, pariter ac decretum Commodi in Africa repertis, etiam de locatione partiarum sermo est; in inscriptione apud Henchir Mettich inventa<sup>6)</sup>, incolis Villae Magnae Variani permittitur ut, si velint, subseciva colant, dummodo partem reddituum cedant domino, (scilicet si hic ipse culturam exercet), vilico, (si praedium a servo quodam domini administratur) aut conductori (si totus saltus uni homini,

<sup>1)</sup> FUSTEL, l. c. p. 14. Mais, si elle (la culture à part de fruits) existait dans la pratique, elle n'existait pas dans le droit. — p. 23. Comment se fait-il que les jurisconsultes ne nous parlent jamais de ces hommes? C'est par la raison bien simple que leur situation n'était pas une situation légale et qu'aucune règle de droit ne s'appliquait à elle.

<sup>2)</sup> ibid. p. 21.

<sup>3)</sup> Varro. de re rust. I. 17. 2.

<sup>4)</sup> Columella. de re rust. I. 3.

<sup>5)</sup> Cf. Varro de l. l. VII. 105. Liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia quam debebat dum solveret, nexus vocatur ut ab aere obaeratus.

<sup>6)</sup> Videtur antiquissima esse, verosimiliter a. 117. SZÉCK (Zeitschrift, p. 316) eam pout anno fere 200.

plerumque ditissimo, locatus est <sup>1)</sup>). Subseciva ea terra vocatur, quae intra centuriam non erat assignata quippe quae inutilis esset <sup>2)</sup>). In Ara legis Hadrianae ii qui agrum incultum colendum susceperunt tertiam partem fructuum dare debent <sup>3)</sup>). Luculenter ex hisce apparet locationem partiarum nequaquam peculiarem fuisse eorum tantum colonorum qui aere alieno premebantur. Sine dubio etiam hac in re nonnunquam adhibita est, uti Plinium id fecisse scimus; sed nulla est causa cur credamus hanc consuetudinem fuisse ubique vulgatam.

Praeterea etiamsi colonus in aere alieno est, rem tantum neque se ipsum praestare debet <sup>4)</sup>); a fortiori igitur, ut nunc dicimus, liberi retineri non possunt.

2. Ex eo, quod in Digestis locationis partiarum parva fit mentio, Fustel efficit eam in legibus non ordinatam et hanc ob causam iis hominibus, qui ei obnoxii essent, iniquam fuisse. Contra observari potest omnium primum, ex uno illo loco, quo disertis verbis commemoratur, nequaquam deteriorem ejus condicionem colligi posse; est enim is locus hujusmodi: „alioquin partiarum colonus *quasi societatis jure* et damnum et lucrum cum domino fundi partitur” <sup>5)</sup>). Deinde alibi quoque semel sermo est de „colono qui nummis colat” <sup>6)</sup>), videlicet colono partiaro opposito. Sed praeterea nunc scimus ex inscriptionibus, quas supra laudavi, rationem quae inter colonum et dominum hujusve

---

<sup>1)</sup> I. 5. Qui eorum (i)nter fundo villae Mag(na)e Variani id est Mappalia-sigalis eos agros, qui su(b)esiva sunt (excolere volunt) excolere permittitur lege Manciana.... ita ut eas qui excoluerit usum proprium habeat. Ex fructibus, qui eo loco nati erunt, dominis aut conductoribus vilicisve ejus (fundi) partes e lege Manciana prestare debebunt hac condicione....

<sup>2)</sup> SCHULTEN, Lex Manciana. p. 19.

<sup>3)</sup> II. 14. Nec ex Blandiano et Udensi saltu majores partes fructuum quam coloni is qui deserta a cultoribus occupaverit sed pariter ac hi solent tertias partes fructuum dare debebit.

<sup>4)</sup> S. WASZYŃSKI, Die Bodenpacht. Agrargeschichtliche Papyrusstudien. p. 146. Bekanntlich hat die römische Regierung es verhindern wollen, dass die Personalexekution in privatem Verkehr sich einwurzele.

<sup>5)</sup> L. 25. § 6. Dig. XIX. 2. — Ex his verbis non sequitur locationem partiarum societatem esse; modus est locationis. „Hierfür ist entscheidend die Absicht der Beteiligten.” DERNBURG. Pandekten. II. p. 304. adn. 4.

<sup>6)</sup> L. 26. Dig. XLVII. 2.

vicarium intercederet ordinatam esse, atque id quidem uberius, lege saltus, quae, ut infra demonstrabitur, in ingentibus latifundiis pro lege locationis est <sup>1)</sup>); quodsi coloni in his saltibus in deteriore sunt condicione, hujus rei non ea est causa, quod deest ordinatio, sed proprium hoc est ejus ordinationis quae extat. Id tantum ex eo, quod locatio partiaria in Digestis raro occurrit, colligi potest, eam praesertim in vastis saltibus adhibitam esse <sup>2)</sup>).

Tamen, licet sit alias ob causas, locatione partiaria coloni inferiores sunt facti; etenim est sane haec, quod ad formam attinet, locatio conductio; sed potest etiam haberi et re vera potius habenda est pro modo laboris mercede conducti (loonvorm <sup>3)</sup>); ex qua re jam quodammodo apparere potest colonos a condicione agriculturalum magis minusve libere agentium descendisse ad statum mercennariorum conductorum. In ea epistula Plinii, quam saepius jam laudavi, in qua narrat se periculum facturum esse locationis partiariae, scribit etiam se „custodes” instituturum, qui acriorem custodiam exercituri sint. Iidem custodes commemorantur in inscriptione apud Henchir

<sup>1)</sup> BEAUDOUIN, Les grands domaines dans l'empire romain. Revue hist. de droit fr. et étr. XXI. (1897) p. 692. adn. 2. L'opinion de FUSTEL DE COULANGES, d'après laquelle la culture à part de fruits „existait dans la pratique, mais n'existait pas dans le droit”.... et n'était qu'une „pratique extra-légale, tolérée mais non reconnue, et dont les jurisconsultes n'avaient pas à s'occuper” est si évidemment insoutenable, qu'il n'y a pas à la discuter.

<sup>2)</sup> Hujus rei explicationem dat SCHULTEN, Lex Manciana. p. 45. Die Bebauung von Land gegen Fruchtquoten ist zu Hause nicht auf dem Boden des Privatrechts, sondern auf publizistischem Gebiet; sie ist üblich bei der Ueberlassung des ager publicus in Italien und bei der Besteuerung der Provinzen Sizilien und Asien unter der Republik. Wie das Occupationsrecht vom ager publicus und die Gefällpachtung von den provinzialen vectigalia auf die domaniale Verwaltung übergegangen ist, so auch die Anwendung der Fruchtquoten. — Vide etiam infra pag. 130.

<sup>3)</sup> cf. HEINRICH SWOBODA, Beiträge zur griechischen Rechtsgeschichte (1905). p. 101. Nach den grundlegenden Untersuchungen DIETZELS über den Teilbau (Zeitschr. f. d. gesammte Staatswissensch. XL. 1884 p. 236 s.q.q.) — die zwar zunächst nur die italienischen Verhältnisse (mezzadria) berücksichtigen, aber in ihrer allgemeinen Bedeutung weit über sie hinausreichen — steht fest, dass derselbe nicht als Pacht-Kontrakt, sondern als Lohnform aufzufassen ist.

Mettich reperta; quod tandem eorum fuerit munus, quandoquidem ea pars inscriptionis, in qua de eis agitur, vitiata est, non pro certo statui potest <sup>1)</sup>). Significant autem, utcunque res se habent, magnam imminutionem colonorum libertatis. —

Supra obiter jam observavi magis quam locationem partiarum absentiam legis locationis valuisse ad condicionem colonorum minuendam. Solita lex locationis, quam ex Digestis novimus, pactio est a duobus confecta: id exprimitur duplici appellatione locationis conductionis. Aliter autem se habet lex saltus, quae in magnis latifundiis legis locationis loco est; praebet pactum ab uno tantum imperatum; itaque non conventio est, sed huiusmodi lex quam hodie „reglement” dicimus. Qui in saltu aliquo tamquam colonus vel operarius — finis enim magis magisque extinctus est — domicilium capit, non instituitur per conventionem, quae literis mandetur; per ipsam domicilii capionem putatur accipere omnia quae in lege huius saltus sunt statuta <sup>2)</sup>). Condicio ejus igitur accedit ad condicionem hodierni officinae opificis. Re vera apparebit ejus laborem, non ejus pensiones, magis magisque factam esse rem cujus maxime ratio haberetur.

Inscriptiones nobis huiusmodi legum diversâ fragmenta traderunt, quae saepe laudata sunt, cum aliqua de re litigium esset ortum. Maxime copiosa est lex, quae commemorator in inscriptione pagi Henchir Mettich, quae ibi lex Manciana appellatur <sup>3)</sup>); huius nominis derivatio adhuc incerta manet <sup>4)</sup>). In saltu Burunitano pariter ac in quinque illis saltibus, qui in ara

---

<sup>1)</sup> SCHULTEN, *Lex Manc.* p. 29, eorum munus vocat „exigere fructus”; Seeck, *Zeitschrift.* p. 353 mutat: custodes (rationes fructuum a colonis exigere debebunt).

<sup>2)</sup> Cuvq, *Le colonat partiaire.* p. 42. Elle (la lex Villae Magnae Variani) fait dépendre l' obligation des colons non pas de la preuve d' un contrat conclu avec le bailleur, mais de leur résidence dans les villae dominicae.

<sup>3)</sup> I. 4. ad exemplum (leg)is Manciana; II. 29. e lege Manciana.

<sup>4)</sup> De huius legis tempore ac ratione vide: SCHULTEN, *Lex Manc.* p. 18. s.q.q.; Cuvq, *Le col. part.* p. 61. s.q.q.; BEAUDOUIN, *Revue,* etc. XXII. p. 37. s. q. q.; SEECK, *Zeitschrift.* VI. p. 305. s. q. q.; ROSTOWZEW, *Geschichte der Staatspacht.* p. 436. s.q.q.

legis Hadrianae occurrunt <sup>1)</sup>, valet lex quaedam Hadriana <sup>2)</sup>, quae dubium vix est quin ab Hadriano imperatore data sit <sup>3)</sup>.

Quam diu coloni obligati fuerint ut in saltibus opus suum obirent, de hac re fragmenta tradita nihil referunt; id tantum pro certo affirmari potest jus eorum proficiscendi integrum mansisse. Habemus enim ex inscriptione pagi Henchir Mettich constitutum quoddam, ut qui agrum incultum colendum susceperit, sed dein culturam reliquerit, jus suum colendi per duos annos servet; quo tempore finito conductor agrum denuo locare debet <sup>4)</sup>. Sed ex ipsius rei natura sequitur sollemne fuisse eos aut diutissime aut per totam vitam in eodem praedio permansisse. „Ein wesentliches Merkmal der Anteilwirtschaft . . . ist, dasz bei ihr eine begrenzte Pachtdauer von vornherein nicht vorgesehen wird. Der Vertrag läuft — so fern das Verhältnis durch eine (an bestimmte Fristen gebundene) Kündigung nicht gelöst wird — immer weiter fort . . . Dies findet darin seine natürliche Begründung, dasz der an dem Rohertrage unmittelbar beteiligte Teilbauer mehr Pflege und Sorgfalt dem Grundstück widmet, wenn er längere Zeit auf demselben zu bleiben erhofft“ <sup>5)</sup>. Idem efficitur ex constitutione legis Hadrianae ut qui agrum incultum colendum susciperet, haberet „jus possidendi ac fruendi *heredique suo relinquendi*“ <sup>6)</sup>.

Putaverunt nonnulli, haec extrema verba imprimis respicientes, hanc locationis rationem, qualem inscriptiones in lucem

<sup>1)</sup> II. 3–6. Saltus Blandianus, Udensis, Lamianus, Domitianus, Thudritanus.

<sup>2)</sup> C. I. L. 10570. III. 4. kapite legis Hadrianae.

Ara legis Hadrianae I. 8. (ad) exemplum legis Hadrianae.

<sup>3)</sup> Demnach scheint Hadrian, wohl bei seiner Anwesenheit in Afrika im J. 123 oder 128, eine ausführliche Domänenordnung erlassen zu haben: ein neuer Beweis für die umfassende Reformtätigkeit dieses Kaisers auf allen Gebieten der Verwaltung. HIRSCHFELD, Die kais. Verwaltungsbeamten. p. 123. Cf. Vita Hadriani. 20. omnes publicas rationes ita complexus est ut domum privatam quis pater familias non setius norit; — et L. 8. § 6. Dig. 12. 14. (vide etiam p. 148.)

<sup>4)</sup> IV. 15–22.

<sup>5)</sup> WASZYNSKI, Bodenpacht. p. 155.

<sup>6)</sup> II. 9 et 10.

protulerunt, praenuntium fuisse emphyteusis posterioris. „Sie ist . . . das älteste Zeugnis, wenn auch nicht für die Emphyteuse, so doch für das Occupationsrecht, aus dem sich die E. entwickelt hat” <sup>1)</sup>. Investigare quatenus hoc recte se habeat ad nostrum propositum eo majoris momenti est, quoniam alii etiam locationem perpetuam ipsam existimaverunt fuisse commutationem quae versus adhaerentiam tenderet. Creditur WAL-LON hujus rei constructionem juridicam fieri posse: respublica enim prohibere poterat quominus emphyteuta abiret allegata L. 5. C. J. IV. 10. „Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus, ita renunciare semel constitutae obligationi, adversario non consentiente, nemo potest” <sup>2)</sup>.

Contra haec observandum est, quamquam occupator rudis agri et emphyteuta sequioris aetatis magnam habent similitudinem juridicam, tamen inter eos grave discrimen oeconomicum extare. Similitudo re vera insignis est. Duo sunt emphyteusis maxime peculiaria: qui conduxit obligatus est ut agrum meliorem reddat; et locatio perpetua est atque ad heredes transit. In inscriptione pagi Hençhir Mettich primum illud non disertis verbis enuntiatur; sed lex Manciana eis, qui terram meliorem reddunt, eadem singularia emolumenta tribuit, quae solita praemia sunt emphyteutae; ut qui novos ficus serit aut novas vineas per quinque sequentes annos horum fructibus fruitur nulla deductione facta <sup>3)</sup>, quae regula etiam memoratur in inscriptione Thisbensi, in qua antiquissimum emphyteusis exemplum in Graecia nobis est traditum <sup>4)</sup>. Alterum illud, locatio perpetua, ut jam dixi, in nulla lege saltus, quae servata est, ipsis verbis commemoratur, sed quin re vera solita fuerit vix dubitari potest, atque eam ad liberos transire potuisse saltem apparet ex illo jure heredi relinquendi. Tertia etiam res, in qua conveniunt, ea est, quod et emphyteusis et occupatio rudis agri

<sup>1)</sup> SCHULTEN, *Lex Manc.* p. 39; cf. Cuvq, *Le col. part.* p. 27. „Il faut désormais renoncer à l'opinion courante qui voit dans l'emphytéose une institution du bas empire.”

<sup>2)</sup> WALLON, *Histoire de l'Esclavage.* III. p. 265.

<sup>3)</sup> II. 24—III. 10.

<sup>4)</sup> His, *Die Domänen der römischen Kaiserzeit.* p. 98. s. q. q. — SCHULTEN,

finitur, cum ager per praestitutum quoddam tempus incultus relictus est. De emphyteusi tempus valet in agris privatis trium annorum <sup>1)</sup>, in possessionibus ecclesiae duorum annorum <sup>2)</sup>; pro occupatione lex Manciana tempus statuit duorum annorum <sup>3)</sup>.

Sed juxta hanc similitudinem gravia extant discrimina; in inscriptione Thisbensi *ὁ καταλαβὼν* (i.e. emphyteuta) certum quendam modum messis in perpetuum constitutum pendit, occupator autem rudis agri, ut vidimus, partes fructuum. Dein in prima illa is, qui emphyteusin vult habere, eam debet petere per libellum (*βιβλίον*), cum in lege Hadriana occupator ipso facto occupationis jus suum consequatur <sup>4)</sup>. Hoc miratur SCHULTEN: „Dasz man nicht einen Pachtvertrag schloz, sondern den Occupanten zum factischen Emphyteuta machte, (oder zum colonus, da der Occupant die Vorstufe zum Colonen ist und schon nach der lex Hadriana dem Conductor die partes aridae für die ersten fünf Jahre als Abgabe leisten musz,) ist juristisch sehr eigenthümlich <sup>5)</sup>).

Utrumque discrimen perspicuum fit, ut opinor, si haec considerantur. Emphyteusis proprie dicta, cujus primum mentio fit in lege quadam anni 315 <sup>6)</sup>, adhibita tantum est in saltibus imperatoriis, aetate Christiana etiam in possessionibus ecclesiae; emphyteusis in praediis privatorum occurrit tempore demum juris Justiniani <sup>7)</sup>. Omnes hi saltus nonnisi conductoribus magnis, locupletibus, erant locati pariter ac antea fiebat in locatione agri publici <sup>8)</sup>; luculentissime id ex eo apparet quod

---

Lex Manc. p. 39. s. q. — BEAUDOUIN, Revue, etc. XXII. p. 550. s. q. q.

<sup>1)</sup> L. 2. § 1. C. J. IV. 66.

<sup>2)</sup> Nov. Just. VII. 3. 2; CXX. cap. 8.

<sup>3)</sup> IV. 15—22.

<sup>4)</sup> SCHULTEN, Lex Manc. p. 39. s. q. — cf. BEAUDOUIN, Revue, etc. XXII. p. 556. „Ici encore, comme à Henchir Mettich, aucun contrat proprement dit.”

<sup>5)</sup> SCHULTEN, Hermes. XXIX. p. 227.

<sup>6)</sup> L. 1. C. J. XI. 62.

<sup>7)</sup> DERNBURG, Pandekten. I. Zweites Buch. p. 241. — Idem valet de jure perpetuo; adhibebatur in fundis rei privatae, fundis patrimonialibus, fundis reipublicae et templorum, Privatgüter werden nie zu Jus perpetuum verliehen. His. p. 91.

<sup>8)</sup> BEAUDOUIN. Revue XXII. p. 316. Les terres de l'ager publicus étaient

emphyteuticarii vel perpetuarii omnino aequiparantur possessoribus<sup>1)</sup>. Et re vera vasti illi saltus ad certum canonem erant locati ea aetate qua inscriptiones conscriptae sunt, et, ut veri simile est, etiam ad certum tempus; decretum Commodi certe loquitur de „vicibus successionis per condicionem conductoris”; fortasse solitum tempus erat lustrum<sup>2)</sup>. Contra autem manifeste fieri non poterat ut ii coloni, qui memorantur in his inscriptionibus, possessores vocarentur; agricolae erant humillimo loco, sine lege locationis in incertum tempus in agris suis collocati, in nonnullis tantum rebus — velut si agrum quendam rudem occupaverant — ex constitutionibus legis saltus beneficiis quibusdam ornati. Quamvis igitur multis partibus, quod ad jus attinet, congruere videantur, tamen, quantum ad statum hominum et rationes privatas attinet, gravissimum extat discrimen inter utrosque; nec emphyteusis pro directa continuatione habenda est juris colendi heredique relinquendi nec emphyteusis proprie dicta, conductorum volo, ad originem adhaerentiae quicquam attulit.

Colonos magis magisque obnoxios esse factos ex eo imprimis apparet, quod nulla extabat lex locationis, quae suum utrisque jus tribuebat; lex saltus enim tantum valebat quantum hodie in magnis officinis valent leges operariis impositae ab eorum dominis; his aut subiciat se aliquis aut abeat necesse est. Jure extat adhuc illa libertas abundi, quae tamen in usu cotidiano omnem suam vim amisit. Vidimus locationem partiarum et frequentem fuisse in magnis saltibus et simul parum in Digestis esse commemoratam. Quae res, ut opinor, hoc modo explicanda erit, quod lites inter hos colonos eorumque

toujours louées par immenses lots. — Excepti tantum erant agri Campaniae. Cic. de lege agr. II. 31. 84.

<sup>1)</sup> KUHN. I. p. 274.

<sup>2)</sup> Hoc suspicatur HIRSCHFELD, p. 130: doch ist dieselbe oft gewisz beträchtlich verlängert worden. — Rostowzew (p. 440) citat ex lege Hadriana (III. 14. s.q.q.): quas partes aridas fructum quisque debet dare, eas proximo quinquennio ei dabit, in cujus conductione agrum occupaverit, post it tempus rationi(bus d. n. inferentur). Der fünfjährige Termin steht wohl mit der regelmässigen Dauer des Pachtcontractes des Conductor im Zusammenhang.



dominos, quorum fides nulla ex parte adstricta erat legibus saltuum quas ipsi constituerant, ad iudicem deferre nequibant; quo fiebat ut jurisprudentia non posset oriri. Possessores ipsi causas dijudicabant; leges, quae mercenarios tuerentur, multis saeculis postea demum latae sunt. —

Supra conatus sum demonstrare locationem partiariam, quatenus quidem adhibita est, et imprimis absentiam legis locationis in ingentibus saltibus multos colonos magis magisque obnoxios reddidisse; sed multo majoris etiam momenti alia res fuit, quam ex inscriptionibus cognoscimus: operas diurnas dico (vroondiensten). His enim factum est ut coloni in condicionem prolaberentur, quae re vera paulum ab adhaerentia differt. Hanc ob rem praecipue operae notatu dignae sunt, quoniam et alibi in historia humana commutationem attulerunt versus adhaerentiam tendentem. „Im 15. Jahrhundert war der deutsche Bauer fast überall ein gewissen Leistungen in Produkt und Arbeit unterworfen, aber sonst wenigstens faktisch freier Mann. Die deutschen Kolonisten in Brandenburg, Pommern, Schlesien und Ost-Preussen waren sogar rechtlich als Freie anerkannt. Der Sieg des Adels im Bauernkrieg machte dem ein Ende. Nicht nur die besiegten süddeutschen Bauern wurden wieder leibeigen. Schon seit Mitte des 16. Jahrh. werden die ostpreussischen, brandenburgischen, pommerschen und schlesischen, und bald darauf auch die schleswig-holsteinischen freien Bauern zu Leibeigenen erniedrigt“<sup>1)</sup>.

Si inquirimus in causas quibus, et in rationem qua operae illae sunt ortae, omnium hanc invenimus condicionem: inopiam operariorum rusticorum. Quo modo haec ad operas instituendas ducere possit, clare perspicui potest, si consideramus eventum quendam, qui recentiore aetate, saeculo praecedente, atque proxime patriam nostram, in Borussia, occurrit: institutum dico eorum praediorum quae „Rentengüter“ dicuntur<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> F. ENGELS, adn. 44<sup>a</sup>, p. 198 zur 3<sup>en</sup> Aufl. v. MARX' Kapital I, ubi laudat: MAURER, Frohnhöfe, IV Band. — MEITZEN, Der Boden des preussischen Staats. — HANSEN, Leibeigenschaft in Schleswig-Holstein.

<sup>2)</sup> Ea quae sequuntur deprompta sunt ex disputatione viri d. R. MEYER, Die Rentengütergesetze in Preussen. Neue Zeit XI<sup>3</sup>. p. 172, 197, 237, 274.

A. d. VII Id. Oct. a. 1807 edictum renuntiabatur ut die Martini a. 1810 omnis adhaerentia (Erbuntertänigkeit) in Borussia abolita esset. Pro operariis adhaerentibus, quos possessores hac re amittebant, hi agricolas quam plurimum poterant amovere („legen“) volebant atque in eorum locum „Büdner“ collocare, qui autem minores agros haberent quam quibus ali possent, et hanc ob causam ut coacti essent futurum erat domini quoque agros colere. Non amplius juræ igitur sed necessitate coacti essent. Et re vera opulentioribus quidem agricolis („spannfähigen“) copia dabatur, ut possessiones operis oneratas sive parte quadam cessa, sive eo, quod operas redimebant, in liberum dominium mutarent. Pauperes vero (nicht-spannfähige) etiam nunc libidini dominorum subditi manebant. Colebant, aucti numero operariorum, qui post villarum amplificationem necessarij facti erant, exiguos suos agros nomine „Inste“, eo tantum discrimine, quod nunc in certum tempus, quod in contractu constitutum esset, collocati erant, antea autem in perpetuum. Jam breve hoc spatium culturam eorum incertam reddebat; praeterea „der Kapitalismus hat den besitzlosen Arbeiter, den Proletarier, nöthig, der keinen ökonomischen Rückhalt hat, und deshalb gänzlich abhängig vom Kapital ist, und der mit Leichtigkeit überallhin verschoben werden kann“<sup>1)</sup>. Haec progressio accelerabatur, cum post a. 1848 industria quae ad res manu faciendas pertinet exerceri inciperet in latifundiis: tum possessores homines quam plurimos poterant a terra sua separare cupiebant, et familiam rusticam potissimum caelibem, praeterea vero operarios ad certum quoddam anni tempus conductos adhibere; id efficiebant eo quod mercenariis nullum tectum praebebant<sup>2)</sup>; hac re simul evanuit cura pauperum, quae devolvebatur ad vicos, in quibus liberi hi mercenarii habitabant. Possessor „hat jetzt im Lohn nur die Reproduktionskosten der Arbeitskraft des einzelnen Arbeiters zu bezahlen, nicht die Reproduktion der Arbeiterklasse“<sup>3)</sup>. Intra annos

<sup>1)</sup> l. c. p. 173.

<sup>2)</sup> p. 174: Reuter's „Kein Hüsung“ ist ein Bild aus jener Zeit.

<sup>3)</sup> p. 174.

1858 et 1861 numerus mercenariorum crescebat usque a 398920 viris et 367222 mulieribus ad 574937 viros et 500532 mulieres: plebs rustica erat creata. —

Ex hisce colligere licet: ubi est abundantia operariorum, „liber” labor magis conducere videtur quam labor qui, sive jure sive necessitate sola coactus, liber non est. —

Intra annos autem 1860 et 1870 alia incipit ratio. Operarii ultra modum depulsi erant; orta erat inopia mercenariorum. Hi enim si laborant exigua mercede et male nutriuntur, procreatio quoque male se habet — aequae ac apud servos latifundiorum —; emigrabant in Americam aut opus quaerebant in industria quae dicitur in rebus manu faciendis posita. Tum inversa ratio obtinuit: coeperunt liberos mercenarios denuo adstringere eo, quod eis agros dabant, quibus partim alere se possent, simul tamen coacti essent in praediis dominorum opus suum praestare. Consilium proponebatur a **RODBERTO**: „Die Freiheit des Grundeigentums ist noch weiter dahin aus zu dehnen, dasz den Grundbesitzern wieder gestattet wird, freieigentümliche Hofstellen anzusetzen, deren Käufer die Verpflichtung übernehmen davon eine bestimmte Anzahl von Arbeitstagen an ein bestimmtes Gut durch beliebige Dienstboten zu leisten”. Unus ex eorum numero, qui possessorum commoda tuebantur, **MERTZEN**, dixit: „Unzweifelhaft das wünschenswertheste Arbeiterverhältnisz bleibt das eines auf Tagelohn angewiesenen angesessenen Wirthes.... Er ist am Orte gebunden und auf seine Nachbarn angewiesen, hat an seinem Besitze eine Beihilfe”. Lege permissa erat „die eigentümliche Uebertragung eines Grundstücks gegen Uebernahme einer festen Geldrente (Rentengut<sup>1)</sup>), et quamquam regis administer negabat se rationes feudales inire velle, mira extat similitudo cum antiqua adhaerentia. **Colonus**, qui hic dicitur „Rentengutsbesitzer” agrum ei tantum vendere potest, qui possessori placet (einer dem Rentenberechtigten genehmen Person); si idoneus est operarius atque dominus cupit eum retinere, hic venditioni

<sup>1)</sup> Art. 1. legis datae die XXVII mense Junio a. 1890.

non assentitur, et colono manendum est, nisi forte eam partem pretii, quam jam solvit, vult perdere; non nomine, sed re glabrae est adscriptus. Notatu quoque dignum est pro mercede nummaria certam copiam frumenti pactam esse posse. Gravisimam autem similitudinem praebet § 6a contractus cujusdam exempli prodendi causa delineati. „Käufer verpflichtet sich dem Verkäufer und dessen Besitznachfolgern jährlich auf erfordern an zehn Tagen Handarbeit entweder selbst zu leisten oder durch einen tüchtigen Arbeiter leisten zu lassen.“

Apparet igitur, ut primum inopia extitit operariorum, possessores pronos esse ad operarios non liberos adhibendos. Quae sit ratio hujus servitii, utrum necessitate sola nitatur an etiam legibus sit sancta, pendebit a potentia quam utraeque partes possunt exercere.

Eadem fere res, sed paulum immutata quod ad formam attinet, animadverti potest in industria ad res manu faciendas pertinente. In universum haec operariis non eget; ex ingenti multitudine eorum, qui labore carent, quidquid deest suppleri potest sicubi negotia florent; rebus adversis eosdem depelli posse expedit. Verum hac in re oritur aliud genus inopiae, quae magis magisque efficit ut operarii officinis adstringantur<sup>1)</sup>. Assidue coartatio rationis fabricensis procedit; semper crescit numerus ingentium officinarum. Magis magisque necessarium fit harum institutionem quamvis brevem praevertere. Jam non satis est semper operarios in promptu esse; dominus officinae quantum potest prohibere debet quominus processus fabricationis intermittatur. „Direkte Zwangsmittel, den Arbeiter im Betriebe festzuhalten, oder ihn an einer Arbeitsniederlegung zu hindern, sind nach der gegenwärtigen Rechtsauffassung nicht vorhanden“. Remedium autem indirectum adhibetur per illud institutum, quod in nostra patria „modelfabriek“ (officina exemplaris) appellatur. Instituta operariorum commodis inservientia,

<sup>1)</sup> Ea quae sequuntur sumpta sunt ex disputatione viri cl. BRENTANO „Das neue Gesicht der gewerblichen Arbeiterfrage,“ Frankfurter Zeitung, N<sup>o</sup>. 358 et 359; cujus conspectus invenitur in ephemeride Soziale Praxis die V mense Januario, a. 1905. p. 348.

quae officinis annexa sunt, omnia id spectant, ut operarium, qui, si officinam relinquit, omnem quoque pecuniam perdit quam in diversas arcas communes (in arcas aegrotantium, orborum, mortuis sepeliendis alias ejusmodi) contulit, officinae alligent. Neque hunc esse eventum fortuitum horum institutorum, sed propositum, quod officinarum domini dedita opera sectantur, BRENTANO demonstrat laudata utilissima commentatione ex ephemeride „Deutsche Arbeitgeberzeitung“: „Die auf das Wohl der Arbeiterschaft gerichteten Bestrebungen besitzen keineswegs einen rein charitativen Charakter. Sie entspringen vielmehr in erster Linie Erwägungen sozialpolitischer Art. Ausserdem unterscheiden sie sich von den Werken der freien Wohlthätigkeit dadurch, dass zwischen Gebern und Empfängern, d. h. also zwischen den Unternehmern und den Arbeitern ein Geschäftsverhältnis, nämlich der Lohnvertrag, besteht, woraus für den Geber die Möglichkeit erwächst, die Kosten für die Wohlfahrts-einrichtungen auf den Empfänger selbst abzuwälzen, indem er sie ihm vom Arbeitslohn abzieht“. Idcirco suadet scriptor ut in *regionibus incolarum frequentia carentibus*, ubi deest copia habitandi et vilem victum acquirendi, insulae aedificentur in usum operariorum caelibum, popinae, tabernae, nosocomia, balneae. Breve spatium, intra quod domuum locatio renuntiari potest, multum valet ad prohibendum ne intermittatur opus.

Harum condicionum comparatio, ut observat BRENTANO, cum adhaerentia abolita colonorum in promptu est. „So sind neue Herrschaften im Entstehen begriffen, in denen die Grundlagen der wirtschaftlichen Freiheit beseitigt sind. . . . Immer neue Riesenbetriebe werden entstehen, in denen nicht das Reichs- oder Landesgesetz, sondern der Wille des Betriebsinhabers Gesetz ist.“

Etiam ex hac hodierna adhaerentiae ratione luculenter apparet, omnes qui magna negotia gerant, sive possessores sint agrorum sive officinarum domini, propensos esse ad servitium quoddam substituendum labori libero, si extet inopia operariorum vel brevis vel diuturna.

Talis inopia autem extabat in imperio romano; usque ab

initio aetatis imperatoriae numerus incolarum semper decrevit; querelae de hoc malo saepissime occurrunt apud scriptores aequales <sup>1)</sup>). Promptum et apertum est imprimis agros huic inopiae obnoxios fuisse. Pariter at nunc etiam iis temporibus illa commigratio in urbes observabatur, quamquam partim alias habebat causas. Qui hodie ex agris urbes petunt id imprimis agunt, ut opus acquirant; hujus rei antiquitus mentio esse non poterat hanc ob causam, quod industria ad res manibus faciendas pertinens ita exulta, ut liberos operarios occuparet, non extabat. Hic autem aliae res rusticos homines alliciebant. Italiae praecipue perniciosae fuerunt frumentationes, quae singulis mensibus gratis Romae habebantur. „Durch das Institut der unentgeltlichen Kornvertheilung, wie sie seit den letzten Zeiten der Republik ständige Praxis geworden, war der souveränen Bürgerschaft der Hauptstadt gewissermassen ein Rechtsanspruch zuerkant, sich für ihre Regierungssorgen von der Unterthanenschaft alimentiren zu lassen” <sup>2)</sup>). Temporibus liberae reipublicae multos eae frumentationes ex agris avocabant, qua de re scriptores identidem queruntur <sup>3)</sup>). Caesar cum a. 46. praefecturam morum susciperet et 320000 homines inveniret, quibus jus erat percipiendi, 170000 nomina de tabulis exemit et in posterum numerum 150000 nominum definivit <sup>4)</sup>). Instituit etiam ut quotannis in demortuorum locum ex iis, qui Romae professi essent, subsortitio fieret, nisi forte is, qui incisus erat, tesseram suam aut vendiderat aut legaverat; hac enim in re is, qui ab eo designatus erat, primum locum obtinebat <sup>5)</sup>). Augustus numerum auxit ad 200000, ita ut semper in locum erasorum alii

---

<sup>1)</sup> Vide SEECK, Untergang der antiken Welt. I. p. 333. Die Entvölkerung des Reiches. —

<sup>2)</sup> R. PÖLHMANN, Die Ueberbevölkerung der artiken Groszstädte. p. 43.

<sup>3)</sup> Sall. Conj. Cat. 37. — Varro. de re rust. II. praef. § 3. Igitur quod nunc intra murum fere patres familiae conrepererunt relictis falce et aratro et manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus ac vinetis, frumentum locamus qui nobis advehat, qui saturi fiamus ex Africa et Sardinia, et navibus vindemiam condimus ex insula Coa et Chia.

<sup>4)</sup> MARQUARDT, Staatsverwaltung. II. p. 118.

<sup>5)</sup> MOMMSEN, Staatsrecht. III. 1. p. 447.

subirent; et idem numerus sub Septimio Severo memoratur <sup>1)</sup>. Sed haec numeri terminatio parum valuit ad immigrationem minuendam; semper enim fieri poterat ut quis aut subsortitione aut emptione aut legato perpetuum jus frumenti accipiendi acquireret <sup>2)</sup>. Augustus, quamquam ejus temporibus numerus jam pro certo constitutus erat, periculum intellexit: „impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret; neque tamen perseverasse, quia certum haberet post se per ambitionem quandoque restitui” <sup>3)</sup>; eundem sane Tacitus narrat populum annona pellexisse <sup>4)</sup>. Frumentationes ad posteriorem aetatem imperatoriam duraverunt, memorantur sub Nerone, Tito, Nerva, ea tantum immutatione, ut saeculo tertio non jam frumentum, sed panis distribueretur <sup>5)</sup>. Accedebant etiam congiaria, dona vini, salis, olei, carnis, vestium, quin etiam pecuniae numeratae, quibus, diebus festis, iidem fere donabantur, qui frumentationum quoque participes erant <sup>6)</sup>.

Secundo autem loco Roma agrorum habitatoribus expetenda videbatur propter illud institutum, quod plerumque clientela appellatur <sup>7)</sup>. Temporibus liberae rei publicae optimus quisque stipatus erat turba salutatorum, deductorum, assectatorum, quorum ope gratiam apud populum assequi conaretur. Aetate imperatoria, quamquam auctoritatem in re publica non amplius afferebat, tamen permanebat consuetudo, ut divites multitudine sectatorum se circumdarent, quos munusculis sibi astringebant, primo cena, postea pro cena parva pecuniae summa, mercede

<sup>1)</sup> MARQUARDT, l. c. p. 119.

<sup>2)</sup> PÖHLMANN, l. c. p. 46. adn. 3. Es ist doch wohl etwas zu optimistisch, wenn Mommsen (R. G. III <sup>4</sup>, 498) meint, dass „der stehende Zufluss von solchen, welche die Getreidespenden nach Rom führten, durch die Verwandlung derselben in eine auf eine feste Kopfzahl beschränkte Armenversorgung, wenn nicht ganz verstopft, so doch sehr wesentlich beschränkt” wurde.

<sup>3)</sup> Suet. Aug. 42. Conferri possunt verba Apiani B. C. II. 120.

<sup>4)</sup> Tac. Ann. I. 2.

<sup>5)</sup> MARQUARDT, l. c. p. 119 et 135.

<sup>6)</sup> Ibid. p. 136 sq.

<sup>7)</sup> MARQUARDT, Privatleben. p. 204 sq.

quadam diurna. Hae quoque multis, qui rure effugerant, copiam dabant vitae otiosae, licet esset egena <sup>1)</sup>, peragenda.

In aliis quoque magnis urbibus imperii eadem fere instituta vigeant. Constantinus, postquam semel urbem a suo nomine appellatam condidit, vehementer cupivit eam Romae antiquae aequiparare; nativum incrementum ei non satisfacit, nimis tardum videbatur. „Der ganze grosse Apparat der in Romalthergebrachten Wirtschaftspolitik mit seinen ordentlichen und ausserordentlichen Spenden an Brod, Fleisch, Wein, Öl u. s. w. wurde alsbald auch hier in Bewegung gesetzt, um so schnell als möglich zahlreiche Ansiedlermassen herbeizulocken und dem Thron auch in der neuen Residenzstadt in den Huldigungen einer grossen Volksmenge eine glänzende Folie zu geben“ <sup>2)</sup>. Huc quoque igitur agrorum habitatores alliciebantur. Scimus etiam Antiochiae et Alexandriae pauperes partim sumptibus rei publicae altos esse, „eine Begünstigung, deren einseitig politischer Charakter schon darin zum Ausdruck kommt, dass sie zur Strafe für illoyales Verhalten wieder zurückgenommen werden konnte“ <sup>3)</sup>. Praeterea ubique fere, etiam in minoribus oppidis, sumptibus magistratum, imprimis curialium, frumentum parvo pretio venibat <sup>4)</sup>.

Quid ludi et dies festi valuerint ad ruris cultores in urbes alliciendos, saepe jam demonstratum est. Hi quoque non solum

<sup>1)</sup> De condicione horum „clientium“ vide Juv. I. 95 sq, 119 sq; III. 125; V. 11; Mart. III. 30, 38. Columella loquitur de „mercenarii salutatoris mendacissimo aucupio circumvolitantis limina potentiorum.“ praef. I. 9.12. (loci laudantur a viro cl. PÖHLMANN, l.c. p. 41).

<sup>2)</sup> PÖHLMANN, p. 55, ubi vide locos.

<sup>3)</sup> ibid. p. 57.

<sup>4)</sup> De muneribus curialium vide KUHN, I. p. 106, adn. 770; p. 116, adn. 880; p. 249 sqq. — Cf. RÉVILLOUT, Etude sur l'histoire du colonat. Revue hist. de droit franç. III (1857). p. 213. Les habitants des campagnes étaient attirés dans les villes par la constitution même du régime municipal, qui plaçait au chef-lieu tous les avantages de la cité, par l'espoir d'y vivre aux dépens des riches et du trésor public, enfin par la misère de leur condition de jour en jour plus intolérable.... Il se passait en petit dans les cités ce qui se passait en grand à Rome: pour plaire aux plébéiens, les curiales étaient souvent forcés de tenir à leurs frais le blé à bas prix. Le Digeste parle de decurions réduits à la misère: ob munificentiam in patriam. (Fr. 8. l. 2. Cf. l. 12.).



in ingentibus urbibus habebantur. „In vielen, selbst verhältnismässig kleinen Gemeinden lassen sich mehrere Theater nachweisen und Varro's Klage wurde mit der Zeit auch für andere Orte berechtigt, dass die Römer lieber bei den Schauspielen und im Cirkus als bei der Feldarbeit ihre Arme in Bewegung setzen" <sup>1)</sup>). Romae numerus dierum, quibus festa celebrabantur, medio saeculi tertii 175 erat; et ex inscriptionibus apparet fastos festorum multarum aliarum urbium Romae parum concedere" <sup>2)</sup>).

Postremo loco id quoque, quod post Diocletianum plebs urbana ubique immunis facta erat capitatione plebeja <sup>3)</sup>, atque ita omni tributo, sine dubio haud exiguam attrahendi vim exercuit apud agrorum habitatores, qui ipsis tributis tam graviter affligebantur. Ubique urbes perfugium fiebant agricolarum qui expulsi erant aut aufugerant. „Adspice", exclamat Seneca, „agedum hanc frequentiam, cui vix urbis immensae tecta sufficiunt: maxima pars istius turbae patria caret, ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt.... jube istos omnes ad nomen citari, et unde domo quisque sit, quaere: videbis majorem partem esse quae relictis sedibus suis venerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem non tamen suam" <sup>4)</sup>). De Alexandria et Constantinopoli eadem fere traduntur <sup>5)</sup>).

Ex multis rebus re vera apparet in agri cultura magnam inopiam hominum fuisse. Viatores improvidi in itinereprehenduntur et ad magnos saltus trahuntur; necesse erat ut deinceps Augustus et Tiberius praecaverent ne tale quid accideret <sup>6)</sup>). Plinius patri suo scribit: „Instat et necessitas

<sup>1)</sup> LIEBENAM, Städteverwaltung im Römischen Reich. p. 114.

<sup>2)</sup> ibid. p. 118.

<sup>3)</sup> vide p. 58. adn. 8.

<sup>4)</sup> Seneca. Cons. ad Helv. 6.

<sup>5)</sup> Vide locos apud PÖHLMANN, p. 17. adn. 10.

<sup>6)</sup> Suet. Aug. 32. Rapti per agros viatores sine discrimine liberi servique ergastulis possessorum supprimebantur. — Suet. Tib. 8. Curam administravit... repurgandorum tota Italia ergastulorum, quorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent, non solum viatores sed et quos sacramenti metus ad ejusmodi latebras compulisset.

agrorum locandorum perquam molesta: adeo rarum est invenire idoneos conductores <sup>1)</sup>; alibi quoque loquitur de „hac penuria colonorum” tamquam malo noto et universo <sup>2)</sup>. Dio Chrysostomos oratorem de Euboea hoc modo loquentem facit: . . . *σχεδόν τι τὰ δύο μέρη τῆς χώρας ἡμῶν ἔρημά ἐστι δι' ἀμέλειάν τε καὶ ὀλιγανθρωπίαν. κἀγὼ πολλὰ κέκτημαι πλέθρα, ὡσπερ γῆμαι καὶ ἄλλος τις, οὐ μόνον ἐν τοῖς ὄρεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πεδινοῖς, ἃ εἴ τις ἐθέλοι γεωργεῖν, οὐ μόνον ἂν προίκα δοίην, ἀλλὰ καὶ ἀργύριον ἡδέως προστελέσαιμι* <sup>3)</sup>. Temporibus Hadriani inopia operariorum rusticorum vastae terrae plus quam decem annos incultae jacebant <sup>4)</sup>. Anno 193 Pertinax unicuique tota Italia et in provinciis permisit ut agros incultos, etiamsi si erant imperatoris, possideret: simul dominium agri acquirebat qui eum occupaverat <sup>5)</sup>. Postea „agri deserti” assidua cura fuerunt legum imperatorum <sup>6)</sup>; apparet temporibus Honorii 528.0+2 jugera tributis exempta fuisse utpote deserta <sup>7)</sup>. Valentinianus denuo loquitur de „hac ipsa raritate colonorum” <sup>8)</sup>.

Huic inopiae identidem imperatores occurrere conabantur ita ut barbaros in Romano solo constituerent. Primus Augustus 40000 Germanis sedes assignavit in Gallia <sup>9)</sup>. Marcus Aurelius Marcomannos deditos in Italiam traduxit <sup>10)</sup>. Aurelianus familias

<sup>1)</sup> Plin. Epist. VII. 30. 3.

<sup>2)</sup> „ „ III. 19. 7.

<sup>3)</sup> Dio Chryst. Orat. VII. 34.

<sup>4)</sup> SCHULTEN. Hermes XXIX. p. 204.

<sup>5)</sup> Herodianus. II. 4. 6.

<sup>6)</sup> Vide C. J. XI. 59.

<sup>7)</sup> L. 2. C. Th. XI. 28. Cf. JUNG, Bevölkerungsverhältnisse des römischen Reiches. Wiener Studien. I. p. 194.

<sup>8)</sup> Nov. Val. XVIII. § 8.

<sup>9)</sup> Suet. Tib. 9. Germanico (sc. bello) quadraginta milia dediticiorum traiecit in Galliam juxtaque ripam Rheni sedibus assignatis conlocavit: cf. Eutrop. VII. 9. . . . quo bello XL captivorum milia ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia conlocavit.

<sup>10)</sup> Jul. Capit. Marc. 22 Accepit in deditionem Marcomannos, plurimis in Italiam traductis: cf. 24 Aequitatem etiam circa captos hostes custodivit; infinitos ex gentibus in Romano solo collocavit. Cf. etiam Dio Cass. 71. 11.

captivas misit in loca inculta ad Aureliam sita <sup>1)</sup>. Theodosius ripas Padi Alamannis captis implevit <sup>2)</sup> <sup>3)</sup>.

Olim ex his barbarorum collocationibus origo colonatus derivabatur <sup>4)</sup>. Vir d. HEISTERBERGK, qui praecipua loca, quibus de eis agitur, composuit <sup>5)</sup>, demonstravit his omnibus ea quae vere propria sunt adhaerentiae deesse. Modo omittitur barbaros illos intra fines imperii receptos suum quemque agrum conductum habere; fieri igitur potest ut tamquam servi vel mercenarii adhibiti sint; tum non memoratur eos in praedio certi alicujus domini constitutos esse, itaque etiam fieri potest ut sine hoc collocati sint; accedit quod nusquam dicitur eos a solo separari nequire. Dein non solum agri eis colendi erant, sed etiam fines tuendi. Postremo observatum est apud Germanos, a quibus Romani postea jus colonatus imitando accepisse credebantur, nunquam ullum ejusmodi juris vestigium inventum esse <sup>6)</sup>.

Tantum igitur abest ut ex his barbarorum collocationibus adhaerentia sit profecta, ut potius aequae ac illa — et hic profecto unicus locus est, qui eis in historia colonatus est tribuendus — ex eadem re sit orta: ex inopia operariorum rusticorum. Quo autem facilius intellegatur quemadmodum illa inopia aetate imperatoria effecerit, ut operae diurnae instituerentur, haec imprimis animadvertenda sunt.

Postquam principatus stabilitus est et potentiae nobilium in re publica finem fecit, iis jam non causa erat cur Romae assidue morarentur. Hoc gravem commutationem afferebat in agri culturae rationem. Quodsi antea possessores id imprimis

<sup>1)</sup> Vopiscus Aurel. 48. Etruriae per Aureliam ingentes agri sunt iique fertiles ac silvosi; statuerat igitur (Aurelianus) dominis locorum incultorum qui tamen vellent pretia dare atque illic familias captivas constituere.

<sup>2)</sup> Amm. Marc. 28. 5. 15. Alamannos metu dispersos agressus, Theodosius plurimis caesis quoscunque cepit ad Italiam misit, ubi fertilibus pagis acceptis jam tributarii circumcolunt Padum.

<sup>3)</sup> Maxime copiose has barbarorum collocationes enumerant: HUSCHKE, Ueber den Census und die Steuerverfassung der früheren Röm. Kaiserzeit, p. 152-162; FUSTEL DE COULANGES, l. c. p. 43, sqq.; SEECK, Geschichte. I. p. 584 et 585.

<sup>4)</sup> Vide pag. 40.

<sup>5)</sup> HEISTERBERGK, Entstehung des Colonats. p. 27.

<sup>6)</sup> FUSTEL DE COULANGES, l. c. p. 6.

agebant, ut certam mercedis summam acciperent, quam Romae consumere solebant, postquam in praedia sua redierunt, fieri poterat ut utilitates ipsius rei rusticae magis spectarentur <sup>1)</sup>. Nova culturae ratio introducebatur: ager circa villam ab ipso domino (vel hujus vicario) ope mercenariorum vel servorum exercebatur, reliqui agri, in particulas divisi, colonis locabantur; haec culturae ratio in latifundiis aetate imperatoria solita fuit, uti apparet ex Digestis <sup>2)</sup>. Colonis opponitur conductor (grootpachter) <sup>3)</sup>, qui cum familia servorum ipsius villae curae praeest. Sed hi non sufficiunt; praeterquam enim quod eorum morte res familiaris possessoris detrimentum capit, (quapropter Varro suasit ut in locis insalubribus operarii liberi adhiberentur <sup>4)</sup>) haec manebat difficultas, quae semper et ubique valebat in re agraria, quod temporibus serendi et metendi multo pluribus operariis opus erat quam per reliquas anni partes. Huic incommodo possessores occurrere conabantur eo quod plures servos habebant quam plerumque necessarii erant; quos ut quam maxime assidue occupatione quadam detinerent atque hoc modo quaestuosos redderent, id agere incipiebant ut ea, quae ad rem agrariam necessaria erant, quam plurimum poterant in ipsis praediis fabricanda curarent; qua ex re orta est illa „geschlossene Hauswirtschaft“, quam vir. cl. BÜCHER propriam esse putat rationis totius antiquae bonorum procreationis <sup>5)</sup>. Tamen semper tempore metendi liberi operarii necessarii manebant <sup>6)</sup>, quo fit ut Cato regiones laudaverit, quae

<sup>1)</sup> WEBER, Röm. Agrargesch. p. 243.

<sup>2)</sup> Vide locos apud virum cl. WEBER, p. 248. adn.

<sup>3)</sup> Colonus nunc est qui re vera ipse colit, graece γεωργός, conductor, qui conduxit tantum agros neque ipse colit, graece μισθωτής.

<sup>4)</sup> Varro. de re rust. I. 17. 2.

<sup>5)</sup> WEBER, p. 241. Die Autarkie des „Oikos“, auf welche ROBERTUS in übrigen sehr geistvoller Ausführung den gesamten Gang der antiken Wirtschaftsgeschichte gründet, welche aber nach ihm mit der Kaiserzeit im Verschwinden begriffen sein müsste, war also auf den ländlichen Grundbesitzungen zum wesentlichen Teil erst Entwicklungsprodukt.

<sup>6)</sup> In Borussia orientali putant quartam partem totius numeri opificum deficere. (WEBER. p. 241).

„operariorum copiam” haberent<sup>1)</sup>). Sed hi magis magisque deficiebant, quoniam ii, qui extra negotiosum tempus opus non inveniebant, promptam materiam praebebant illi emigrationi in urbes, quae supra commemorata est. Atque haec inopia etiam magis urgere coepit eo tempore, quo non amplius bella populos subigendi causa gerebantur, quo fiebat ut numerus servorum non amplius constanter suppleretur atque idcirco valde imminueretur. (vid. p. 115.)

Ea ratio, qua difficultas solvi posse videbatur, erat introductio operarum diurnarum: dominus partes praedii sui colonis locat, quibus simul imperat ut operas praebeant ad villam ipsam et agros proxime circumjacentes colendos<sup>2)</sup>). Hoc modo duplex lucrum facit: mercedem capit ex agris antea saepe incultis, et operarios gratuitos acquirit, quibus ad sua negotia uti potest<sup>3)</sup>). In saltu Burunitano numerus dierum, quibus operae et juga praestari debebant, erat 6; in inscriptione inventa apud Gasr Mezuar 12 commemorantur; computantur in singulos annos et „in singulis hominibus”<sup>4)</sup>). Sed scimus saepe colonos de superexactione operarum questos esse, et re

---

<sup>1)</sup> Cato. de re rust. I, ubi praescribit quid animum advertere debeat qui praedium parare cogitat: uti bonum caelum habeat . . . sub radice montis siet, in meridiem spectet, loco salubri, operariorum copia siet.

<sup>2)</sup> „Er befolgt also eine ganz ähnliche Politik, wie sie jetzt für den preussischen Osten empfohlen wird, wo man ja auch durch Anlage von Bauerndörfern dem Arbeitermangel der groszen Güter abhelfen möchte.” — SZECK, Die Pachtbestimmungen eines röm. Gutes in Afrika. Zeitschrift f. Soc. und W. gesch. VI. p. 333.

<sup>3)</sup> Cf. HEUSSLER, Geschichte und Kritik des russischen bäuerlichen Gemeindebesitzes. II. p. 236. „N. KÜPFER, Güterverwalter des Fürsten Tschernischoff gab vor der Enquetecommission über die Resultate der Abschaffung der Sklaverei folgende Aussage ab: Gegenwärtig wird in den Gouvernements Mosca und Kaluga die Landwirtschaft mit gröszerem oder geringerem Erfolge nur auf den grössten Gütern betrieben, wo der Herr den Bauern gewisse Agrarrechte gegen Arbeiten, die sie auf den Herrengründen zu leisten haben, überlässt. Damit erreicht man einen doppelten Zweck: man zieht eine Rente aus unbebautem Lande, das sonst keine Pächter finden würde, und die herrschaftliche Wirtschaft wird ohne irgend welchen Kapitalaufwand betrieben.” (Laudata a viro d. A. LORIA, Zeitsch. f. Soc. und Wirtsch. gesch.)

<sup>4)</sup> Lex Manciana. IV. 25; vir cl. SZECK legit: in singulos homines.

vera numerus si ne dubio major fuit quam semel erat pactus <sup>1)</sup>. Ex inscriptionibus etiam novimus omnia aedificia in saltu a colonis exstructa esse. „Muros kastelli Dianensis extruxit per colonos ejusdem castelli“, alicubi legimus <sup>2)</sup>, et alibi „ejus murus constitutus a solo a colonis ejus castelli Cellensis“ <sup>3)</sup>. Num postea hae operae sint auctae, huic rei pariter ac multis aliis, quae pertinent ad latifundiorum temperationem, unoquoque die nova inscriptio clariorem lucem afferre potest <sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> Utile est in hac re quod MARX (qui ea, quae narrat deprompsit é libro viri d. E. REGNAULT, Histoire politique et Sociale des Principautés Danubiennes. Paris 1855) tradit de operis colonorum in Walachia. (Kapital I. 199). Nach dem „Réglement organique,“ so heisst der Codex der Frohnarbeit (i. e. fere lex saltus), schuldet jeder walachische Bauer, ausser einer Masse detaillierter Naturalabgaben, dem s. g. Grundeigenthümer 1) zwölf Arbeitstage überhaupt, 2) einen Tag Feldarbeit und 3) einen Tag Holzfuhr. Summa Summarum 14 Tage im Jahre. Mit tiefer Einsicht in die politische Oekonomie wird jedoch der Arbeitstag nicht in seinem ordinären Sinn genommen, sondern der zur Herstellung eines täglichen Durchschnittsprodukts nothwendige Arbeitstag, aber das tägliche Durchschnittsprodukt ist pflügiger Weise so bestimmt, dass kein Cyklope in 24 Stunden damit fertig würde. In den dünnen Worten echt russischer Ironie erklärt daher das „Réglement“ selbst, unter 12 Arbeitstagen sei das Produkt einer Handarbeit von 36 Tagen zu verstehn, unter einem Tag Feldarbeit drei Tage, und unter einem Tag Holzfuhr ebenfalls das Dreifache. Summa: 42 Frohntage. Es kommt aber hinzu die s. g. Jobagie, Dienstleistungen, die dem Grundherrschaft für ausserordentliche Produktionsbedürfnisse gebühren. Im Verhältnis zur Grösse seiner Bevölkerung hat jedes Dorf jährlich ein bestimmtes Kontingent zur Jobagie zu stellen. Diese zusätzliche Frohnarbeit wird für jeden walachischen Bauer auf 14 Tage geschätzt. So beträgt die vorgeschriebene Frohnarbeit 56 Arbeitstage jährlich . . . Diess ist jedoch nur die gesetzlich vorgeschriebene Frohnarbeit. Nachdem das „Réglement“ aus 12 Tagen 54 gemacht, wird das nominelle Tagwerk jedes der 54 Frohntage wieder so bestimmt, dass eine Zubusse auf die folgenden Tage fallen muss. In einem Tag, z. B., soll eine Landstrecke ausgejätet werden, die zu dieser Operation, namentlich auf den Maispflanzungen, doppelt so viel Zeit erheischt. Das gesetzliche Tagwerk für einzelne Agriculturarbeiten ist so auslegbar, dass der Tag im Monat Mai anfängt und im Monat Oktober aufhört. Für die Moldau sind die Bestimmungen noch härter. „Die zwölf Frohntage des Réglement organique“, rief ein siegtrunkner Bojar, „belaufen sich auf 365 Tage im Jahr!“

<sup>2)</sup> C. I. L. VIII. 8701.

<sup>3)</sup> „ „ „ „ 8771, cf. 8428: castello quem constituerunt. Vide SCHULTEN, Grundherrschaften, p. 49-52.

<sup>4)</sup> In legibus de colonatu prolatis, quantum supersunt, semel tantum apertis verbis operarum mentio fit: L. 1. § 1. C. J. XI. 53. (vide p. 71.)

His omnibus rebus colonus, quod ad condicionem oeconomiam attinet, prorsus alius vir est factus. Multos profecto jam locatio partiaria in statu deteriore collocaverat; quum nulla lex locationis eos, qui in magnis latifundiis opus praestabant, — *nam in his tota haec commutatio confecta est* — tueretur, magis magisque dominis subjecti erant. Sed praesertim ex operis apparet dominos semper minus mercedem, semper magis opus colonorum postulavisse: medium tenent inter minores agricolas et mercenarios <sup>1)</sup>. Hoc modo ut eorum condicio deterior fieret eo facilius accidere poterat, quod coloni nunquam ordo validus fuerunt. Colonus romanus semper magis is fuit, quem in nostra patria „bedrijfsboer” vocamus, quam agricola qui libero arbitrio terram suam, postquam semel conduxit, exercebat. „Das ganze Verhältnis wird denn auch aufgefasst als eine Art und Weise, in welcher *der Herr* sein Gut bewirtschaftet” <sup>2)</sup>. Columella suasit ut dominus magis opus exigeret quam pensiones <sup>3)</sup>. In praefatione libri sui inter munera possessoris ponit „administrare opera colonorum”. Revera erant *ejus* coloni; apparet ex ratione, qua de iis fit sermo; ita Frontinus scribit: „*Habent* autem insaltibus privati non exiguum populum plebejum” <sup>4)</sup>; dicitur „coloni tui” pariter atque „villula tua” et „servi tui” <sup>5)</sup>. Apparet ex eo quoque quod in bello saepe dominum sectabantur, tamquam corporis custodes <sup>6)</sup>. Dominus colonis suis instrumentum praebebat, et ad hoc fere omnia trahebantur, quae ad culturam necessaria erant; legabatur „fundus

---

Operas diurnas pariter ac alias res quae ad internam saluum temperationem pertinebant, jus publicum non curabat; an ad eas spectat etiam illud „debitum condicionis” de quo loquitur L. 2. C. J. XI. 50?

<sup>1)</sup> WEBER, p. 246. Je nach den thatsächlichen Umständen muszte das Verhältnis seinem wirtschaftlichen Schwerpunkt nach schwanken zwischen dem Bestehen von dienstpflchtigen Bauernwirtschaften und von ansässigen Gutsarbeitern.

<sup>2)</sup> WEBER, p. 234.

<sup>3)</sup> Colum. I. 7. Avarius opus exigat quam pensiones.

<sup>4)</sup> Front. de contr. agrorum. p. 53. ed. Lachmann.

<sup>5)</sup> Hist. Aug. Tac. 6.8. teque, Tacite Auguste convenio petens obsecrans . . . ne sic rempublicam . . . ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut servos tuos, relinuas.

<sup>6)</sup> Caes. de bell. civ. I. 34, 56; Sall. Cat. 59.

cum instrumento" <sup>1)</sup>). Colonis saepe ex villa cibus afferebatur, ut verisimile est, per id tantum tempus, quo domini agros exercebant <sup>2)</sup>). Tota condicio mire convenit cum locationis partiariae ratione; hujus quoque enim maxime peculiare est quod re vera dominus ipse rei rusticae praeest et culturam moderatur <sup>3)</sup>). Quam debilis hac re fuerit colonorum condicio apparet etiam ex constructione juridica juris locandi. „Was nach unsrem geltenden Recht kein noch so drakonisch gefasster Mietskontrakt, welchen Hausbesitzervereine und ähnliche Interessentengruppen ersinnen mögen, erzielen kann: dasz der Mieter *zuerst* räumen musz und dazu ohne Prozess im Selbsthülfewege gezwungen werden kann, und dann seinen Schaden liquidieren darf, wenn er einen solchen und sein Recht noch weiter zu wohnen nachweisen kann, das ist nicht nur für Mieter, sondern für Pächter im römischen Recht zum Princip erhoben" <sup>4)</sup>). Haec debilitas sine dubio ea re explicari potest, quod colonis nulla copia erat, quandoquidem industria in rebus manu faciendis posita, quae liberos homines excipere posset, deerat, ut alio quaestu sustinerentur <sup>5)</sup>).

Quodsi ex hisce rebus apparet quantum dominus praevaluerit ita ut ei facile esset colonorum opus nullo pretio sibi acquirere, — rationem, formam, qua id sibi vindicavit, non ipse excogitavit. Hic quoque exemplum ex historia sumptum probabilem conjecturam potest fortasse confirmare. In terris Rumenis nativa culturae ratio communi agrorum dominio nite-

<sup>1)</sup> Dig. XXIII. 7. de instructo vel instrumento legato.

<sup>2)</sup> Colum. II. 9. 17. Inter frumenta etiam panicum et milium ponenda sunt, quamvis jam leguminibus ea contribuerim. Nam multis regionibus cibariis eorum coloni sustinentur.

<sup>3)</sup> WASZYNSKI, Die Bodenpacht. p. 158. Ein wesentliches Merkmal der Teilpacht, besonders auch der modernen, ist das Recht des Gutsherrn, die allgemeine Richtung der Produktion zu bestimmen und die Art der Bewirtschaftung zu überwachen.

<sup>4)</sup> WEBER, p. 232.

<sup>5)</sup> HARTMANN, Ueber die Ursache des Unterganges des römischen Reichs. Archiv. f. soz. Gesetzg. u. Stat. II. (1889) p. 485. Das (in vollständige wirtschaftliche Abhängigkeit gerathen) musste sich aber notwendig in einem doch wesentlich landwirtschaftlichen Staate ereignen, in dem sich den Arbeitskräften keine anderweitige Beschäftigung darbot.



batur, ita ut pars agrorum a municipibus propriis manibus coleretur, pars, ager publicus, publice exerceretur. Temporis intervallo optimates militares et ecclesiastici simul cum municipiorum possessionibus etiam servitutes iis impositas vindicabant. „Die Arbeit der freien Bauern auf ihrem Gemeindeland verwandelte sich in Frohnarbeit für die Diebe des Gemeindelandes”<sup>1)</sup>. Hujusmodi operae municipales etiam in imperio Romano fuerunt, uti innotuit ex lege coloniae Juliae Genetivae<sup>2)</sup>. Hujus legis cap. XCVIII hujusmodi est: „Quamcumque munitionem decuriones hujusce coloniae decreverint, si major pars decurionum atfuerit, cum ea res consuletur, eam munitionem fieri liceto, dum ne amplius in annos singulos inque homines singulos puberes operas quinas et in jumenta plaustraria juga singula operas ternas decernant. Eique munitioni aediles qui tum erunt ex decurionum decreto praesunto. Uti decuriones censuerint, ita muniendum curanto, dum ne invito ejus opera exigatur, qui minor annorum XIII aut major annorum LX natus erit. Qui in ea colonia intrave ejus coloniae fines domicilium praediumve habebit neque ejus coloniae colonus erit, is eidem munitioni uti colonus pareto”<sup>3)</sup>. Etiam hic operarum et jugorum mentio fit; coloni quoque, ut videmus, ad munitiones extruendas obligati erant. Supra jam observatum est<sup>4)</sup>, et infra copiosius demonstrabitur<sup>5)</sup>, magnos illos saltus paulatim omnia jura municipiorum usurpavisse. Praeterea scire videmur in una re praedium quoddam antea municipium fuisse. In inscriptione, quae inventa est apud Henchir Mettich, saltus, de quo valent constituta legis Mancianae, appellatur fundus Villae Magnae Variani, sed illi nomine semper adjunctum est: id est (vel: sive) Mappalia Siga. Probabile autem est hoc antiquum nomen hujus regionis fuisse: „le mot mappalia, dont Salluste nous a donné

<sup>1)</sup> MARX, Das Kapital. I. p. 199.

<sup>2)</sup> Eph. Epigr. II. p. 105, p. 221; III. p. 87. Vide etiam L. 4. Dig. L. 4. Cura extruendi vel reficiendi operis munus publicum est, a quo quinque liberorum incolumium pater excusetur.....

<sup>3)</sup> Ibid. II. p. 224.

<sup>4)</sup> p. 36 sq.

<sup>5)</sup> p. 170.

le sens exacte <sup>1)</sup>, nous prouve que le fundus Villae Magnae Variani occupait le territoire d'une tribu numide sédentaire, et qu'il avait été créé au détriment d'un village indigène" <sup>2)</sup>. Possessores talium saltuum, qui multis in rebus potestates magistratuum sibi asciverunt, sine dubio etiam munera municipalia incolarum vindicare poterant.

Si perspicimus colonorum condicionem, qui magna ex parte propter locationem partiariam iis qui ad nummos numeratos conducebant infirmiores erant facti; qui, quoniam lex locationis in saltibus deerat, omnino libidini dominorum traditi erant; qui operis diurnis magis magisque afflicti sunt, ita ut operarii facti sint omnis possessionis et juris fere expertes, — agnoscendum est in usu cotidiano eam simillimam esse condicioni colonorum originariorum, lege solo adstrictorum. *Jure* autem insigne adhuc extat discrimen. Antea viri docti colonatum institutum putabant esse prorsus novum, ad certam aliquam rem assequendam consulto excitatum; hodie ab altera parte ii mihi errare videntur, qui existimant jus colonatus nihil aliud fuisse quam confirmationem vel, ut hodierno vocabulo utar, codificationem condicionis jam diu extantis, neque ullam huic condicioni mutationem attulisse <sup>3)</sup>. Quod autem sit discrimen inter antiquum colonum prorsus liberum et adhaerentem solo, originarium, luculentissime apparet, si inter se opponuntur quae de illo priore enuntiantur: „colonus domini juri subjectus non est" <sup>4)</sup> et alterius appellatio quum is dicitur „colonus juris alieni" <sup>5)</sup>. Et re vera hoc grave extabat discrimen, quod antiquo colono jus integrum manebat agrum suum relinquendi; id apparet, ut supra observavimus, ex eis quae constituta sunt in lege saltus; id etiam disertis verbis confirmatur a jurisconsulto: „quin liceat colono

<sup>1)</sup> Sall. Jug. 18. 8.

<sup>2)</sup> TOUTAIN, Nouv. Revue, etc. XXI. p. 385.

<sup>3)</sup> WEBER, l. c. p. 272. Die glaebae adscriptio enthielt jedenfalls keine Verschlechterung ihrer Lage, so weit sie überhaupt etwas Neues enthielt.

<sup>4)</sup> Gajus. Inst. IV. 15 § 3. . . . licet is ejus (i. e. domini) juri subjectus non sit, qualis est colonus et inquilinus.

<sup>5)</sup> Vide locos p. 36.

vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio est" <sup>1)</sup>); scilicet praestituto tempore finito: „si domus vel fundus in quinquennium pensionibus locatus sit, potest dominus, si deseruerit habitationem vel fundi culturam colonus vel inquilinus, cum eis statim agere" <sup>2)</sup>). Etiam antea conati quidem erant possessores, tempore etiam finito, colonos suos vi retinere, sed tum lege claris verbis erat vetitum: „Cum quinquennium, in quo quis pro publico conductore se obligavit, excessit, sequentis temporis nomine non tenetur; idque principalibus Rescriptis exprimitur. Divus etiam Hadrianus in haec verba rescripsit: Valde inhumanus mos est iste, quo retinentur conductores vectigalium publicorum et agrorum, si tantidem locari non possint; nam et facilius invenientur conductores, si scierint fore, ut, si peracto lustro discedere voluerint, non teneantur" <sup>3)</sup>). Hoc monitum autem, quod dabatur initio saeculi secundi (Hadrianus regnabat 117—138) parum profuisse, immo libidinem possessorum longius processisse, apparet ex iterato interdicto Philippi imperatoris (anno 247): „invitos conductores seu heredes eorum post tempora locationis impleta non esse retinendos saepe rescriptum est" <sup>4)</sup>).

Contra inde ab anno 332 leges adhaerentiam agnoverunt et sanxerunt, et ita ii, qui „oeconomice" jam obnoxii erant, etiam „politice" subditi facti sunt <sup>5)</sup>). Atque neglecta etiam hac quaestione, num ea res aliquem effectum ediderit in ipsa conditione colonorum, ex ipso facto quod pertinaci studio possessorum per multa saecula frustra leges repugnaverunt, deinde ad ultimum imperatores ei concesserunt, certo certius effici potest aequales talis commutationis conscios fuisse.

Si inquirere volumus quas ob causas imperatoribus optabile

<sup>1)</sup> L. 25. Dig. XIX. 2.

<sup>2)</sup> L. 24. § 2. Dig. XIX. 2.

<sup>3)</sup> L. 3. § 6. Dig. II. 14.

<sup>4)</sup> L. 11. C. J. IV. 65.

<sup>5)</sup> His annis igitur, a. 247, cum possessores adhuc vetiti essent colonos invitos retinere. et a. 332, cum lex juberet colonos fugitivos origini suae restituere, (L. 1. C. Th. V. 9.) habemus quod hodie dicimus terminum post quem, et terminum ante quem. In hoc intervallo temporis certo certius

sit factum, et simul quo modo fieri potuerit, ut adhaerentiam, quae in usu cotidiano diu jam existebat, acceptam ferrent, omnium primum nobis constituendum est cujusnam potentis hominum ordinis interfuerit, et quinam tandem sint ob eam causam, quorum gratia haec ratihabitio facta sit. Postquam supra ostendi possessores identidem conatos esse adhaerentiam extorquere, dubium non est a quibus vehementissime expetita

jus colonatus legibus est sanctum. Si igitur in nonnullis legibus ante annum 247 vestigia quaedam adhaerentiae extare videntur, ea omnino non probant colonatum jam antea legibus confirmatum fuisse. Loci autem hi sunt:

*de colonis:*

1. Paulus Sent. III. 648. Actor vel colonus ex alio fundo in eodem constitutus, qui cum omni instrumento legatus erat, ad legatarium non pertinet, nisi cum ad jus ejus fundi testator voluerit pertinere. — Hoc loco igitur enuntiatur colonum ad fundum pertinere; scimus autem eodem tempore ne servum quidem, qui quasi colonus collocatus est, ad fundum pertinere. (L. 12 § 3. Dig. XXXIII. 7. Quaeritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur. Et Labeo et Pegasus recte negaverunt, quia non pro instrumento in fundo fuerat, etiamsi solitus fuerat et familiae imperare. Cf. L. 18. § 4; 20. § 1. et SÆCK, Geschichte. I. p. 579); quod si ita est, vix dubium videtur quin verba „et colonus” postea inserti sint. —

2. L. 4. § 8. Dig. L. 15. Si quis inquilinum vel colonum non fuerit professus, vinculis censualibus tenetur. — Possessorum capitatio computabatur ratione habita numeri pecudum et colonorum; qui colonum non professus est, hoc agit ut legi fraudem faciat. Et nulla causa est cur credamus hoc loco Ulpianum ad colonum adhaerentem spectasse.

*de inquilinis:*

1. L. 17. § 7. Dig. XXVII. 1. Inquilini castrorum a tutelis excusari solent, nisi eorum, qui et ipsi inquilini sunt, et in eodem castro eademque conditione sunt. — Inquilini hoc loco dicuntur certae condicionis esse, quod sat mirum videtur. Ex eo tamen, quantum video, non effici potest, eos castris adstrictos fuisse. Qui fuerint homines, nondum est explanatum.

2. L. 112. Dig. XXX. Si quis inquilinos sine praediis, quibus adhaerent, legaverit, inutile est legatum; sed an aestimatio debeatur, ex voluntate defuncti statuendum esse, Divi Marcus et Commodus rescripserunt. — Hic locus sane difficillimus est; dicuntur enim inquilini non solum praediis adhaerere, sed etiam legari posse. Vix fieri non potest, quin hi inquilini pro genere quodam servorum rusticorum habendi sint; sed necesse est fateri de significatione hujus vocis nihil omnino pro certo affirmari posse.

*de adscripticiis:*

L. 1. C. J. VIII. 51. Si invito vel ignorante te partus ancillae vel adscripticiae tuae expositus est, repetere eum non prohiberis. — SÆCK putat verba „adscripticiae tuae” inserta esse. „Im Codex kann die adscripticia

sit; dein complures leges ipsae explanant quorum gratia prolatae sint. Cum anno 380 jus colonatus in Palaestinam reciperetur, id hisce verbis renuntiabatur: „Cum per alias provincias, quae subjacent nostrae serenitatis imperio, lex a majoribus constituta colonos quodam aeternitatis jure detineat, ita ut illis non liceat ex his locis, quorum fructu relevantur, abscedere nec ea deserere quae semel colenda susceperunt, *neque id Palaestinae provinciae possessoribus suffragetur*, sancimus, ut etiam per Palaestinas nullus omnino colonorum suo jure velut vagus ac liber exsultet, sed exemplo aliarum provinciarum ita domino fundi teneatur, ut sine poena suscipientis non possit abscedere”<sup>1)</sup>. Hoc loco aperte significatur adhaerentiam possessorum gratia olim receptam esse et nunc quoque in Palaestinam recipi<sup>2)</sup>. Et hercle, legem quae in inopia operariorum eos, qui adsunt, operi ligat, in rem esse possessorum, per se jam patet, opinor. Ex duabus rebus tamen necesse est colligere possessorum commodum non unicam causam esse potuisse. Primo enim loco, si lex ad utilitates possessorum tantum spectavisset, colonos *dominis* suis, neque ut fecit, *solo* adstrinxisset. Sed praeterea eodem fere tempore, quo coloni, etiam certa quaedam pars servorum rusticorum solo ligati sunt. Constantinus constituerat ne extra provinciam, quam incolerent, transferrentur: „mancia adscripta censibus intra provinciae terminos distrahantur, et qui emptione dominium (sc. mancipiorum) nacti fuerint, inspiciendum sibi esse cognoscant. Id quod in possessione quoque servari rationis est; sublatis pactionibus eorundem onera ac

schon deswegen nicht zum unverfälschten Text gehören, weil dieses Wort wie wir Zeitschr. f. Social-und Wirtschaftsgesch. IV. S. 314. gezeigt haben, erst durch die Steuerreform Diocletians entstanden ist, also nicht schon von Alexander gebraucht sein kann”. (Geschichte, I. p. 579). — Primo capite exponere conatus sum quibus rebus adscripticii a colonis ordinariis differant; unde autem venerint, quo modo eorum condicio sit orta, plane ignoramus. Supra vidimus (p. 55. adn. 3) etiam mancipia censibus adscripta fuisse; per se fieri poterat ut hi quoque adscripticii vocarentur, quamquam hujus rei nullum argumentum proferri potest. Fortasse inscriptiones etiam in hac re obscurissima lucem afferent; interea praestat manus abstinere.

<sup>1)</sup> L. 1. C. J. XI. 51.

<sup>2)</sup> Quodsi leges cavent ne coloni aufugiant, ita facere dicuntur, quoniam „non sinunt eos *dominis perire*.” L. 1. § 3. C. Th. V. 10.

pensitationes publicae ad eorum sollicitudinem spectent, ad quorum dominium possessiones eadem migraverunt" <sup>1)</sup>). Et lex Valentiniani venditionem omnino interdixit: „quemadmodum originarios absque terra, ita rusticos censitosque servos vendi omnifariam non licet" <sup>2)</sup>). Patet hoc interdictum non possessorum gratia renuntiatum esse; etenim, ut adhaerentia possessoribus potestatem tribuit, qua colonos suos, antea liberos, retinerent, ita contra eo, quod servi solo ligabantur, eorum potestas, antea infinita, magnopere coercebatur. Quid voluerit hoc interdictum apparet ex lege quam primo loco laudavi: ne onera ac pensitationes publicae, i.e. ne tributa ac reditus rei publicae perirent <sup>3)</sup>).

Idem in posterioribus legibus de colonatu strictim quidem, sed identidem enuntiatur. — Olim benignum constitutum valuerat liberos ex adscripticio vel colono et libera matre natos liberos esse; Justinianus autem comperit: „ex hoc detrimentari fundos (i.e. eorum possessores) et *eorum functiones*, recedentibus agricolis, velut ex utero libero praecedentes". Quod permovit eum ut antiquam constitutionem mutaret. „Sancimus ergo generalem legem, ut qui ex adscripticio et colono natus est, patris naturam sequatur. Sic ergo *et indemnitas fisci* collatori- bus erit P. C. Hoc ergo medentes praesentem dispositionem disposuimus, quam observare tuam celsitudinem sancimus in omnibus Illyricianis partibus, *ut non exinde diminutio aliqua dominis inferatur*" <sup>4)</sup>). Revera horum utrumque, commodum possessorum et fisci, causam fuisse, quae ad codificationem adhaerentiae duxerit, luculentissime apparet etiam ex argumentationibus sequentis legis Justiniani, in qua ambo constanter juxta memorantur: „Die noctuque pro utilitate rei publicae subtiliter cogitantes, illa properamus renovare, quanta in locis opportunis sunt necessaria, et maxime *pro tributis atque redditibus*, sine quibus impossibile est aliquid agere prosperum. Suggestit

<sup>1)</sup> L. 2. C. Th. XI. 3. Idem constitutum valet de colonis: L. 26. C. Th. XI. 1.

<sup>2)</sup> L. 7. C. J. XI. 48.

<sup>3)</sup> GOTHOFREDUS ad L. 2. C. Th. XI. 3. . . . mancipia intra eandem provinciam, intra quam censibus adscripta sunt, vendi jubet Constantinus M. nempe ut ita cuique provinciae suus census modus servetur.

<sup>4)</sup> De adscripticiis et colonis.

autem tua magnitudo maximam partem possessorum Africanæ provinciae precibus suis intimare desolatos agros remansisse, cum divina lex promulgata fuisset, constituens creatos ex libera matre et adscripticio marito liberos esse. Quod contrarium est legibus antiquis, cum illae manifeste decreverunt talem subolem adscripticiam esse. Ex hac enim licentia filii adscripticiorum praedia, in quibus nati sunt, dimittentes, et in aliis habitantes locis, *tam fiscum quam dominos praediorum minuere* et haec dicentes supplicaverunt corrigere hoc capitulum apud illam provinciam, sicut et pater noster praedictae legis lator in Illyricianam fecit, constituens filios, qui nascuntur ex libera matre atque adscripticio patre, liberos esse cum suis rebus, sed tamen colonos, ut non liceat terrulas, ubi nati sunt, relinquere et alienas colere. His igitur nostrae serenitati suggestionem tuam relatis, necessarium esse perspeximus *possessores subjectos nostros atque functiones publicas adjuvare*. Unde sancimus in Africana provincia filios ex libera matre et adscripticio patre productos liberos quidem esse, et res proprias habere, in ordine tamen colonorum esse, et non posse eos dimittere praedia, in quibus nati sunt, et excolere aliena, sed vicis ipsos, in quibus orti sunt, cum libertate colere; *sic etenim nec fiscus nec possessor laeditur*"<sup>1)</sup>.

Antequam autem inquirimus, quae fuerint causae, quae imperatorem permoverent, ut vim rei publicae afferret in commodum possessorum et fisci, primum omnium observatum digna est simplex illa ratio, qua causae adhaerentiae enumerantur. Non dicitur recepta esse *agriculturae* causae, sed in utilitatem possessorum. Talia ambigua enuntiata, ex cogitatione orta neque ad sensuum evidentiam accommodata (abstract), qualia hodie in usu sunt — saepissime enim loquuntur de commodo *industriæ* aut *agriculturae*, cum potius cogitandum est de officinarum aut agrorum possessoribus — nondum usurpabantur, fortasse quoniam colonorum ordo infirmior erat quam ut necessarium esset ea, quae re vera proposita erant, celare<sup>2)</sup>. Apud

<sup>1)</sup> Constitutio Justinī Imper. de filiis liberarum, in Africam directa.

<sup>2)</sup> Anastasius semel dicit de adhaerentia: τούτο δὲ καὶ τῷ δεσπότῃ καὶ τοῖς

Augustinum primum haec enuntiandi ratio occurrit, ubi is de colonis dicit, „qui condicionem debent genitali solo *propter agriculturam* <sup>1)</sup>. Injuria igitur postea viri docti putaverunt colonatus jus ad agriculturam juvandam receptum esse <sup>2)</sup>. Apparet hoc etiam, si alia exempla interventionis rei publicae, quae ex historia romana laudantur, comparas cum introductione colonatus. Inter ea re vera sunt, quae non aliud agerent nisi ut agriculturae auxilio venirent. Veluti si traditur opus censorium fuisse cavere ne cultura agrorum neglegeretur <sup>3)</sup>; aut Augustum aquam Nili deducendam curavisse <sup>4)</sup>. Major autem pars horum consiliorum id agebat, ut agriculturam italicam adjuvarent cum damno provinciarum, cujus rei ratio haec erat, quasi Romae victrici jus esset ab populis subjectis ali. Veluti Ciceronis jam temporibus gentes Transalpinae vetitae erant oleas et vites serere <sup>5)</sup>. Domitianus, frumenti inopiam veritus, edixit ne in Italia nova vineta describerentur jussitque in pro-

*γεωργοῖς λυσιστελείς*. Sed quod tandem hoc commodum sit colonorum, omittit addere!

<sup>1)</sup> Aug. De civ. dei. X. 1.

<sup>2)</sup> A. W. ZUMPT, Ueber die Entstehung und historische Entwicklung des Colonats Rhein. Museum. Neue Folge II. (1845) p. 3. Der Zweck des ganzen Instituts war den Ackerbau, der immer reizender abnahm und dem Reiche den Untergang drohte, neu zu beleben und dauernd zu sichern. — ΚΥΗΝ, I. p. 265 . . . Alle diese Bestimmungen sind offenbar durch die Sorge für die Landescultur bedingt. — HEISTERBERGK, p. 3. Weder das Interesse des Grundbesitzers, so sehr dieses thatsächlich gefördert wird, noch die Schutzbedürftigkeit der ackerbautreibenden Bevölkerung sind der Grund der in den Gesetzsammlungen enthaltenen Colonatsgesetzgebung, sondern einzig das Interesse der Bodencultur, der agrarischen Produktion und der Steuerfähigkeit des Bodens. — Contra autem REVILLOUT, l. c. III. p. 221. Pour assurer la culture de la terre, c'est à dire le service de l'impôt, seule et continuelle préoccupation des princes, il était tout simple d'enchaîner le paysan au sol.

<sup>3)</sup> Gell. Noct. Att. IV. 12. Si quis agrum suum passus fuerat sordescere eumque indiligenter curabat ac neque araverat neque purgaverat, sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id non poena fuit, sed erat opus censorium, censoresque aerarium faciebant.

<sup>4)</sup> Suet. Aug. 18. Aegyptum in provinciae formam redactam ut feraciorem habilioremque annonae urbanae redderet, fossas omnis, in quas Nilus exaestuatur, oblimatas longa vetustate militari opere detersit.

<sup>5)</sup> Cic. de rep. 3. 9. Nos vero justissimi homines, qui Transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta nos-



vinciis dimidiam tantum partem relinqui <sup>1)</sup>). Provinciis annonaris non nisi venia imperatoris licebat alio ac in Italiam frumentum exportare <sup>2)</sup>). — Prorsus aliter autem se habet jus colonatus: neque ortum est ex sola cura reipublicae, neque uni *populo* opem fert contra alterum; id spectat ut unus hominum *ordo*, colonorum, nullo originis respectu, subjiciatur alteri *ordini*, possessorum <sup>3)</sup>).

traeque vineae, quod cum faciamus, prudenter facere dicimur, juste non dicimur.

<sup>1)</sup> Suet. Dom. 7. Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam existimans nimeo vinearum studio neglegi arva, edixit ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur relicta ubi plurimum dimidia parte.

<sup>2)</sup> Jung, Bevölkerungsverhältnisse. p. 193.

<sup>3)</sup> Id profecto ex legibus luculenter apparet, eos qui jus colonatum inter instituta publica receperunt, de agriculturæ commodo non cogitavisse: agriculturæ parum rationem habuisse videntur. Sed nequaquam hac ex re efficere licet colonatum re vera etiam agriculturæ non profuisse: haec prorsus alia quaestio est. Sed praestat in hujusmodi inquisitionibus omnino generalibus enuntiationibus, quale est „agriculturæ” commodum, abstinere. Veluti in nostra re melius haec tria distinguuntur: Primo loco, num jus colonatus in rem fuerit *possessorum*; ad quod facile est responsu. Secundo loco, num in rem fuerit *colonorum*; quæ ad hanc quaestionem respondenda habeo, in fine hujus capituli dicam. Postremo loco, num jus colonatus, quum colonos solo adstringeret prohiberetque ne recederent, effecerit ut agri magis aut melius colerentur (i. e. *num profuerit agriculturæ strictiore, tecnico, sensu: rationi agros colendi*) atque ita auxerit copiam frumenti aliarumque rerum, quibus ceteri populi ordines vescebantur. Haec autem difficillima est quaestio, in qua vix quidquam pro certo affirmare possumus. Scimus sane jus colonatus illius migrationis in urbes, quam supra commemoravi, non omnino finem fecisse; hoc apparet ex posteris legibus, ex quibus comperimus Justinianum magistratus extraordinarios instituisse ut omnes, qui rure Constantinopolim venissent, de origine interrogarent, et quantum possent, eo remitterent. (Nov. Just. LXXX. cap. 1. . . . Volumus autem cingulum habentem hoc respicientem ad deum nostrumque timorem et legem requirere (advenientes) ad magnam hanc civitatem, ex quacumque provincia sint, viros sive mulieres, aut clericos seu monachos vel monachas sive externarum civitatum advocatos aut alterius cujuscumque fortunæ vel dignitatis existant, et perscrutari qui sint aut unde venerint et in qua occasione. Et si quidem agricolæ sunt, intendere quibus nostrum iudicium horum competunt lites, et his imminere, velociterque eos eripere difficultatibus propter quas hic venerunt, et festinanter unde venerunt eos remittere competentia fruentes). His agricolis, qui dominis egebant, possessores præbere debebant; si multi simul venerant, ut causas adversus dominum dicerent, paucos tantum oportebat relinqui, ceteros quam celerrime remitti, „quorum

Videmus fontes id valde perspicue exprimere; eadem manifesta simplicitate alteram quoque causam commemorant; non mentio est de commodis „rei publicae“, sed exacte de „fisci“, i.e. imperatoris commodo.

Haud difficile est intellegere quid imperatorem permoverit ut vim rei publicae afferret. Haec interventio aperte id voluit: ut prodesset possessoribus, *inter quos imperator ipse omnium princeps erat*. Quam late patuerint saltus imperatorii tertio saeculo post C. n. apparet ex conspectu, quem composuit vir cl. HIRSCHFELD <sup>1)</sup>. In omnibus partibus orbis terrarum saltus habebant; notissima sunt latifundia africana <sup>2)</sup>; jam Neronem perhibent dimidia parte hujus provinciae potitum esse <sup>3)</sup>. Tanta terrarum possessio hodie nonnisi cum latifundiis imperatoris russici hujusque familiae

---

et hic praesentia superflua et agriculturae vacatio damnum et ipsis et possessoribus facit.” (Nov. Just. LXXX. cap. 2. Si vero aliqui sint agricolae constituti sub dominis et egentes eis ad hanc venerunt regiam civitatem, praeparare possessores citius eas discernere pro quibus venerunt causas, et remittere merentes mox quae justa sunt. Si vero forsitan ad resultationem possessorum venerunt et adversus eos dicant causas, si quidem multitudo sit, plures quidem remittere continuo ad provinciam, duobus aut tribus relictis, qui secundum colligantium schema litem exerceant... ). — Sed fac jus colonatus non ab omni parte contra eam migrationem profecisse, rogare quis possit an non futurum fuerit, si colonatus non fuisset, ut agri etiam magis desererentur, et an non fortasse melius fuerit illi malo alia remedia afferre. Sed ad tales quaestiones nemo, opinor, multa habet quae respondeat, neque puto rerum scriptoris esse constituere, quid, multis saeculis ante, hic aut ille facere debuerit. Unum tantum pro certo possumus affirmare: si consideramus jus colonatus et per totum fere orbem terrarum pervulgatum fuisse, et per tam multa saecula viguisse, dubium esse non potest, quin illis temporibus omnino necessarium fuerit. —

<sup>1)</sup> HIRSCHFELD, Der Grundbesitz der römischen Kaiser in den ersten drei Jahrhunderten. Beiträge zur alten Gesch. II. (1902) p. 45, p. 284.

<sup>2)</sup> Conspectum eorum dat vir cl. SCHULTEN, Röm. Grundh. p. 28. — HIRSCHFELD, ibid. p. 295. Wie ausgedehnt das kaiserliche Verwaltungspersonal in Afrika gewesen ist, hat die Auffindung der Grabstätte der Beamten des Bureaus des procurator tractus Karthaginiensis gelehrt, in der neben den Procuratoren tabularii und ihre Gehülfen, dispensatores, librarii, notarii commentarienses, saltuarii, nomenclatores, praecones, tabellarii, ministratores, cursores mit ihrem exercitator und doctor, Numidae, pedisequi, agrimensores, und chorographi, medici, paedagogi, aeditui, ja selbst ein custos Larum ihre Ruhestätte gefunden haben.

<sup>3)</sup> Plin. N. H. XVIII. 35. Sex domini semissem Africae possidebant cum interfecit eos Nero princeps.....

comparari potest: sicut apud hunc, magni quoque ponderis fuit in consilia, quae imperatores romani capiebant de re agraria.

Quod coloni solo sunt astricti primo loco igitur hoc significavit et hoc spectavit, ne inopia colonorum solarium periret possessoribus et imprimis imperatori<sup>1)</sup>. Manifestum est eam causam, quam fontes secundo loco commemorant, curam fisci, eodem fere pertinuisse. Jam fine saeculi primi tam redditus quam expensa rei publicae imperatoria facta sunt<sup>2)</sup>: specie tantum discrimen inter aerarium et fiscum usque ad tempora Diocletiani existit<sup>3)</sup>; apud scriptores historiae Augustae utraque vox pari sensu usurpatur<sup>4)</sup>. Quae igitur pecunia publica redibat fisco vel aerario, eadem arca imperatoris implebatur; quam rem si ita contemplanis, redditus saltuum imperatorum duplex est: semel reddunt mercedem solariam; denuo reddunt tributa. Videntur haec quidem inter se pugnare, si imperator proprias possessiones sui ipsius aerarii gratia tributis onerat; sed re vera, ut vidimus, tam merces quam tributa a colonis pendebantur. Quo factum est ut possessiones imperatoriae numquam immunes fuissent, nisi forte oneribus et muneribus extraordinariis<sup>5)</sup>; hac ipsa enim immunitate coloni, quorum inopia extabat, alliciebantur et ita saltus imperatorii aemulas possessiones privatorum superabant. — Postremo loco id quoque fisco (i.e. imperatori) commodo erat, si tributa ceterorum possessorum tutius redibant.

Ex hisce rebus denuo apparet commodum rei publicae nusquam commemorari. Commodum rei publicae omnino factum est commodum imperatoris<sup>6)</sup>. Praeter hunc in re publica ii

1) **BEAUDOUIN**, Revue XXI. p. 700. L'asservissement des colons à la terre a été, dans les grands saltus, une mesure économique à l'origine, qui est devenue dans la suite une règle de droit.... Quant à l'extension de cette règle par la législation.... il faut sûrement la considérer comme une mesure surtout financière.

2) **HIRSCHFELD**, Die Kais. Verwaltungsbeamten. p. 30

3) **MOMMSEN**, Staatsr. II. p. 1013.

4) **HIRSCHFELD**, p. 17. adn. 2.

5) Vide supra p. 68. et **HIS**, p. 107—113.

6) **HARTMANN**, Ueber die Ursache des Unterganges des Römischen Reiches. Archiv, etc. II. (1889) p. 484. Ganz im Gegensatz zu früher wurde dann

populi ordines tantum valebant, quibus potentia imperatoria nitebatur: magistratus et officiales, exercitus, plebs urbana. Quorum praesidium ut acquireret et retineret, pecunia ei opus erat, semper pecunia, i.e. tributis. „Sous l'empire Rome (lege: imperator) n'avait qu'un souci: l'impôt. Avec de l'or elle achetait des soldats, avec de l'annone elle les entretenait; avec ses tributs en argent ou en nature, avec le travail des villes, corporations et curies elle pouvait mettre en mouvement cette vaste administration" <sup>1)</sup>). Atque praecipui reditus erant tributa agriculturae.

Hisce tributis colonos magnopere esse oppressos jam statim ex ea ipsa re colligi potest, quod adhaerentia in usum recepta est; etenim haec legis interventio necessaria non fuisset, nisi colonorum condicio tam tristis fuisset, ut partes suas detrectare conarentur. Haec singularis acerbitas tributorum cohaeret cum eorum genere et natura. Inter ea, quae imperatores plebi urbanae largiebantur, multa erant ad vitam cotidianam necessaria, ante alia autem frumentum. Prospicere ut hoc semper suppeditaret, quo plebis mentes sedatae manerent, haud exiguum munus fuit imperatorum romanorum. „Das billige Getreide hat den römischen Cäsarethron errichtet und billiges Getreide ward fürderhin seine unablässige Sorge" <sup>2)</sup>). Illud praebere imperatum erat provinciis, imprimis Aegypto et Africae, quae hoc tributum rebus naturalibus conferebant. — Cum Diocletianus imperium adipisceretur, milites jam speciebus exsolvebantur; voluntaria pecuniae dona (donativa) additamento erant <sup>3)</sup>; haec stipendii persolvendi ratio postea ad omnes officiales proferebatur <sup>4)</sup>). Haud raro autem ii, quibus mandatum erat stipendia

---

(post Augustum) der Staat mit dem Kaiser identifiziert, und es wurde das einseitige „Staatsinteresse" durchgeführt gegenüber dem Interesse der Unterthanen, das gar keine Vertretung hatte. Politische Macht hatten ausser dem Kaiser nur diejenigen Stände, durch welche er regierte.

<sup>1)</sup> WALLON, Hist. de l'Esclavage. III. p. 252.

<sup>2)</sup> HOFFMEISTER, l. c. p. 76.

<sup>3)</sup> SEECK, Geschichte II. 254.

<sup>4)</sup> Ibidem. p. 255, p. 256. Dasz dies System sparsamer war als die frühere Geldwirtschaft, lässt sich mit gutem Grunde bezweifeln. Denn der Bedarf an Naturalien lässt sich nicht für jeden einzelnen genau berechnen; da

solvere, a praefectis militibus cogebantur id, quod nimium specierum accipiebant, nummis dare; quod profecto a tributa pendentibus compensari debebat. Atque hoc malum ingravescibat prout exercitus augebatur: Diocletianum aequalis refert exercitum quater tantum reddidisse quantus ante eum fuisset <sup>1)</sup>).

Eo accedit quod illa tributorum exigendorum ratio, quam Diocletianus introduxerat, colonum et minorem possessorem multo magis premebat quam majorem <sup>2)</sup>). Quo fiebat ut illi permulti villas suas relinquerent: „adeo major esse coeperat numerus accipientium quam dantium, ut enormitate indictionum consumptis viribus colonorum desererentur agri et culturae verterentur in silvam” <sup>3)</sup>).

Summa, quae certo cuidam municipio persolvenda erat, quarto quoque anno constituebatur; quae ut constanter rediret, a decemprimis ratio repetebatur; si pretium agrorum retro redierat, quoniam inculti manebant, ad id non attendebatur; tamen summam integram praebere debebant <sup>4)</sup>). Postea totus ordo tributa, quibus opus erat, praestare debebat; hic quotannis ex decurionibus ipsis eos designabat, qui annonam exigendam curarent, atque id, quod deficiebat, e sua re familiari supplerent <sup>5)</sup>). Quodsi haec non sufficebat, ab iis, qui susceptores creaverant, ratio repetebatur <sup>6)</sup>). Hoc modo vectigalia aerarii impera-

---

man aber nicht weniger geben durfte, als nötig war, gab man lieber etwas mehr, und der Ueberschusz wurde verschwendet oder zu Schleuderpreisen verkauft.

<sup>1)</sup> Lact. De morte pers. 7. .... in quattuor partes orbe diviso et multiplicatis exercitibus, cum singuli eorum longe majorem numerum militum habere contenderent, quam priores principes habuerant, cum soli rempublicam gererent.

<sup>2)</sup> SEECK, II. p. 267. .

<sup>3)</sup> Lact. De morte pers. 7.

<sup>4)</sup> Arcad. Fr. 18. § 26. Pro muneribus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt.

<sup>5)</sup> SEECK, I. p. 278.

<sup>6)</sup> L. 2 C. J. X. 72. Juxta inveteratas leges nominatores susceptorum et eorum, qui ad praeposituram horreorum et pagorum creantur, teneantur obnoxii, si minus idonei sint, qui ab eisdem fuerint nominati, nec quidquam ex eorum substantia celebrata per interpositam personam emptione mercantur. cf. L. 8. .... Et animadvertant quicumque nominaverint (exactores vel susceptores) ad discrimen suum universa quae illi gesserint redundare.

torii nunquam non redibant, quamvis ordines decurionum perirent.

Quod decuriones tam misere tributis affligebantur sine dubio alia quoque causa fuit, cur adhaerentia reciperetur: haec enim; quantum poterat, agros quorum tributa exigebantur colendos curare videbatur. Atque ii, qui colonos solo ligaverunt, duas res assecuti sunt: agri melius quam ante cultum iri videbantur, qua re tributa certius redirent, et grave onus decurionum partim ab decurionibus ad possessores devolvebatur. „Il se forma entre ce dernier et l'Etat une espèce d'assurance mutuelle: l'un répondait des impôts, l'autre fournissait des cultivateurs perpétuels, et la conséquence de ce contrat, si favorable au fisc et aux maîtres du sol, était la servitude des fermiers" <sup>1)</sup>.

Alia quoque res imperatoribus causa fuisse potest cur colonos solo astringerent. Aetate imperatoria milites et aliis modis conscribebantur <sup>2)</sup>, et, ut primo capite vidimus, hac quoque ratione, ut coloni a possessoribus tamquam tirones praeberentur. Primum haec „juniorum collatio" memoratur in lege Valentianiani anni 365 <sup>3)</sup>, sed jam multo ante in mores inducta esse videtur. Ammianus cum fructus enumerat, quos imperator ex collocatione quadam barbarorum perceperat, ita loquitur: „proletarios lucrabitur plures et tirocinia cogere poterit validissima; aurum quippe gratanter provinciales pro corporibus dabunt; quae spes rem Romanam aliquotiens adgravavit" <sup>4)</sup>. Probabile autem est hoc loco eum spectare ad easdem enuntiationes, quae C. Th. VII. 13. adhiberi solent: pro corporibus (tironibus) pretia (aurum) inferre <sup>5)</sup>. Praeterea jam Aurelius Arcadius Charisius (L. 18. § 3 Dig. L. 4) inter munera enumerat „tironum sive equorum productionem", quae verba scripta esse constat ante annum 333 <sup>6)</sup>. Itaque hic conscriptionis modus in

<sup>1)</sup> REVILLOUT, Revue, etc. III. p. 223.

<sup>2)</sup> MOMMSEN, Das römische Militärwesen seit Diocletian. Hermes XXIV. p. 245.

<sup>3)</sup> L. 2. C. Th. VII. 13.

<sup>4)</sup> Amm. Marc. XIX. 11. „pro" insertum est a viro d. HARTMANN.

<sup>5)</sup> L. M. HARTMANN, Ueber den römischen Colonat und seinen Zusammenhang mit dem Militärdienste. Arch.-epigr. Mitt. aus Oest.-Ung. XVII. (1894) p. 133.

<sup>6)</sup> ibid. p. 134.

idem fere tempus incidit, quo jus colonatus legibus sanciebatur; et colonatus fortasse eo quoque pertinebat, ut retinendis colonis certam materiam praeberet ad constituendum exercitum, quem scimus Diocletianum quadruplo majorem reddidisse. Jam vir cl. MOMMSEN observaverat: „das ganze Institut des Colonats beruht darauf, dass der Leibeigene als freier Mann behandelt wird, um ihn zum Eintritt in das Heer fähig zu halten“<sup>1)</sup>.

Quodsi supra monstratum est quid imperatores permoverit ut possessorum et fisci gratia adhaerentiam vi publica confirmarent, nunc restat ut inquiramus quo modo hoc factum sit. Capite primo (p. 41. adn. 7.) jam vidimus secundum v. cl. MOMMSEN hanc necessitudinis rationem tam vehementer juri romano repugnare — „dasz es im tiefsten Grunde der Auffassung des lebendigen römischen Rechts widerstreitet“ — ut suspicaretur primum saltem impulsum ex terris externis venisse. Sed vidimus etiam nusquam ullum exemplum ostendi potuisse, haud magis quam in legibus ullius imitationis vestigium extat<sup>2)</sup>. Quin etiam ad consimilia instituta sequioris

<sup>1)</sup> MOMMSEN, l. c. p. 242.

<sup>2)</sup> Vide p. 140. — M. ROSTOWZEW, (Beiträge zur alten Geschichte I. (1902). p. 295) originem colonatus ducere conatus est e regno Seleucidarum. Laudat inscriptionem, in effodiendo Didymeio Milesio inventam a viro d. HAUS-SOULIER, in qua memoratur pactum venditionis anni 256 ante Chr. n. putat agricolas, de quibus in hac inscriptione mentio fit, primos colonos fuisse in saltibus exemptis solo adstrictos; dein hoc institutum usque ad imperatores romanos perduravisse suspicatur et ab his in imperium romanum receptum. — Eos autem λαούς, de quibus hic agitur, re vera colonos legibus solo adstrictos fuisse, quantum equidem video, ex verbis colligi non potest; possunt enim a terra sua discedere. Inscriptio quantum huc refert hujusmodi est: τὴν μὲν Πάν[νου] κώμην καὶ εἴτις τυγχά[ν]ει ὑστερον γεγενῆσθαι καὶ εἴτινες (ε)ἰς τὴν χώ[ραν] προσπί[πτου]σιν τό:οι καὶ τοὺς ὑπάρχοντας αὐτοῖς λαοὺς πα[νοικί]ους σὺν τοῖς ὑπάρχουσι πᾶσι καὶ σὺν ταῖς [τοῦ εἰ]νάτου καὶ πεντηκοστοῦ ἔτους προσόδοις ἀρ[γυ]ρίου τετράκοντα. ὁμοίως δὲ καὶ εἴτινες εἰ[κ] τῆς κώμης ταύτης ὄντες λαοὶ μετεληλύθαισιν εἰς ἄλλους τόπους ἐφ' ᾧ οὐδὲν ἀποτελεῖ(ν) εἰς τὸ βασιλικὸν καὶ κυρία εἶ[σ]ται προσφ'ερομένη πρὸς πόλιν ἢ ἀν βούληται κατὰ ταῦτά εἶ[ε] καὶ οἱ παρ' αὐτῆς πριάμενοι ἢ λαβόντες αὐτοὶ τε ἔξουσιν κυρίως καὶ πρὸς πόλιν προσοίσονται ἢ ἀν βούλω[ν]ται ἰάμπερ μὴ Λαοδίκη τυγχάνει πρότερον προσενηνεγμένη πρὸς πόλιν, οὕτω δὲ κεκτ(ῆ)σονται οὐ ἀν ἡ χώρα ἦ προσωρισμένη ὑπὸ Λαοδίκης.) Sed praeterea vix miramur in regionibus orientalibus, ubi regibus subjecti servilli fere conditione erant, agricolas inveniri quoquo modo a

aetatis animum attendimus, quae probant certa quaedam rei publicae tempora nonnunquam existere posse, quae ejusmodi sint, ut in eis aliqua forma servitutis ultro oriatur necesse sit.

Aliter putavit FUSTEL DE COULANGES et qui post eum historiam colonatus pertractaverunt. Autumant adhaerentiam initio ortam esse in saltibus imperatoriis, quoniam ibi potestas domini, quam jure privato is possidet, miscetur cum potestate imperatoris, quam publico jure habet. „Auf den kaiserlichen Domänen ist der Pächter zum an die Scholle gebundenen Colonen geworden, weil sich hier privates und öffentliches Recht in einem fort durchkreuzen“<sup>1)</sup>. Quatenus hic, uti videtur, existimatur adhaerentiam proprio sensu in saltibus imperatoriis ortam esse, i. e. adhaerentiam ibi primum lege sanctam esse, huic opinioni multa obstant. Omnium primum huic suspicioni nullum subsidium invenitur in fontibus. Jus colonatus primo valuisse in saltibus imperatoriis, et dein a possessoribus privatis vindicatum esse, hujus rei in legibus traditis nihil apparet. Hoc ita tandem defendi potest, si credis primas leges, quae nobis de jure colonatus traditae sunt, minime primas esse, quae de eosint prolatae. Sed hujusmodi suspicio ab omni parte veri dissimilis habenda est. Etenim valde mirum esset, cum permultae leges, quae de singulis rebus agunt et saepe eadem iterant, servatae sint, si

---

possessoribus ex familia regia (nam de his sermo est in pacto) solo adstrictos Sed prorsus nullum testimonium aut indicium extat, quo probari possit imperatores romanos tale institutum imitatos esse et in terras occidentes recepisse. Plane assentior viro d. P. M. MEIJER locuto (Beiträge zur alten Geschichte I, p. 424): Es ist zuzugeben, dass die von HAUSSOULIER veröffentlichte Inschrift das älteste uns bekannte Dokument für die Existenz der Gutshoheit ist. Dadurch ist aber durchaus nicht ausgeschlossen, dass auch in andern Ländern eine analoge, parallele Entwicklung der agrarischen Verhältnisse stattfand. Die Bildung eines unselbständigen Bauernstandes ist eine den östlichen Mittelmeerländern in den letzten Jahrhunderten vor unserer Zeitrechnung eigentümliche Erscheinung.

<sup>1)</sup> SCHULTEN, Röm. Grundh. Vorwort. — Copiosius de hac re egit pp. 93—98; p. 94: Auf den kaiserlichen Territorien findet sich jene Vermengung privatrechtlicher Dinge mit staatsrechtlichen, „patrimonialen“, wie es im Mittelalter heisst, welche dem Conductor einen magistratischen, den Colonen einen unterthänigen Charakter verleiht, sie auf die Stufe des instrumentum herabdrückt.



ea ipsa gravis lex, qua adhaerentia publice agnoscebatur — qua re profecto jus, quod usque ad illud tempus fuerat, haud exigue infringebatur, — periisset aut in collectiones legum recepta non esset. Quae difficultas eo magis urget, si tecum reputas cum primam legem traditam, in qua certo certius adhaerentiae mentio fit, anno 332 esse, tum anno 247 adhuc vetitum fuisse, quamvis aperte mos esset, colonos vi retinere; itaque eam legem, in qua adhaerentia non solum concessa, sed etiam sancta sit, nullo modo diu ante 332 promulgatam esse potuisse; cui rei hoc quoque convenit, quod in legislatione Diocletiani et Constantini ejus necessitas explicari potest. Unicuique opinioni, quae defendi non possit nisi lex aliqua periisse existimetur, qua proprie adhaerentia in jus publicum sit recepta, hoc imprimis obstat, quod parum probabile est talem legem eo tempore latam periisse, quo tot aliae leges quae de rebus cognatis agunt tamen servatae sunt. Id ipsum, quod adhaerentia magnopere infregit libertatem hominum, quae diu verbis saltem et specie etiam mansit, nos adducit ut suspicemur, quemadmodum videmus hanc mutationem in factis ex parvis initiis ortam, pedetentim progredientem, lente crevisse, sic ne in jure publico quidem extitisse subitariam et vehementem mutationem, qualis facta esset, si per legem publicam subito hoc novum jus esset constitutum.

Quamquam initio locatio in quinquennium inibatur, mos erat, credo, colonos in usu cotidiano multo diutius in agris suis permanere: plerumque utrique parti id utilissimum erat. Jure tacita continuatio locationis agnoscebatur <sup>1)</sup>. Supra jam inscriptiones laudatae sunt, sepulcris incisae, in quibus longa commotio in uno eodemque praedio memorabatur <sup>2)</sup>; hanc moram voluntariam fuisse ex eo jam apparet, quod in sepulcro defuncti, tamquam pro laude, a necessariis traditur. Columella suasit possessori ut quantum poterat eosdem colonos retineret, ita ut

---

<sup>1)</sup> L. 16. C. J. IV. 65. . . . Sin autem tempus, in quo locatus fundus fuerat, sit exactum et in eadem locatione conductor permanserit, tacito consensu eandem locationem una cum vinculo pignoris renovare videtur. cf. L. 13, 14. Dig. XIX. 2.

<sup>2)</sup> Vide p. 111.

coloni nonnisi indigenae in praedio essent <sup>1)</sup>). Quo magis incitarentur ut agros rudes colendos susciperent, ut vidimus, jus heredi relinquendi colonis dabatur. Imprimis in vastis saltibus diutissima vel perpetua commoratio sine dubio solita fuit: coloni saltus Burunitani queruntur se male tractatos esse „per tot retro annos” <sup>2)</sup>). Nomen habebant ex praedio in quo habitant: coloni fundi Mariani <sup>3)</sup>, colonus agri Caeli <sup>4)</sup>). „Der Genetiv drückt die dauernde Zugehörigkeit zum Grundstück aus, noch nicht die rechtliche, aber die faktische” <sup>5)</sup>). Colonatus non amplius est condicio juridica, fit condicio socialis.

Longam habitationem saepe vi coactam fuisse supra jam apparuit: Hadrianus imperator disertis verbis vetuit colonos retineri <sup>6)</sup>). Erat autem malum inveteratum, nam plus quam saeculo post interdictum iteratum est, eo addito, hujusmodi renuntiationem jam saepius factam esse <sup>7)</sup>). Praeterea in promptu erat ratio, qua detentio coloni legitima videri quidem poterat: *in lege saltus constituebatur agros in perpetuum locatum iri; locatio enim perpetua in jure romano minime ignota erat* <sup>8)</sup>). Quin hoc fieri potuerit in tanta dominorum praepotentia, nemo, credo, dubitabit; qui praeter mercedem operas diurnas quoque extorquere potuit, qua re liberi homines accedebant ad servos; in univsum qui colonos tam obnoxios reddere potuit, quales colonos africanos fuisse ex inscriptionibus apparet — is procul dubio potestatem quoque habuit ut in saltus lege locationem perpetuam constitueret eamque in usu cotidiano tuendam curaret. Hoc re vera factum esse colligi potest ex interdicto Philippi imperatoris: ex hoc enim apparet heredes quoque colonorum retentos esse. Quam facile hujusmodi constitutum, quod tale

<sup>1)</sup> Columella I. 7.

<sup>2)</sup> C. I. L. VIII. 10570; II. 5.

<sup>3)</sup> „ „ „ VI. 9276.

<sup>4)</sup> „ „ „ VI. 9275.

<sup>5)</sup> SCHULTEN, Der Röm. Kolonat. Hist. Zeitschr. 78. (1897) p. 8.

<sup>6)</sup> Vide supra p. 148.

<sup>7)</sup> ibidem.

<sup>8)</sup> L. 4. Dig. XIX. 2. Locatio precariive rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset dedissetve, vellet, morte ejus, qui locavit, tollitur.

quid permittat, cogitari possit, si et inopia operariorum possessores eo egent et hi simul potestatem habent ejus tuendi, illustrari potest exemplo quodam constitutionum quales haud raro etiam hodie in nostra patria (et sine dubio etiam alibi) occurrunt. In nonnullis regionibus Tubantiae opificibus in officinis occupatis domusculae locantur ab officinarum possessoribus sub lege quadam, in qua etiam haec occurrunt:

„De huurder . . . . . *zoomede diens zoons* zijn verplicht, zoodra deze den ouderdom van twaalf jaar bereikt hebben, en indien het door den verhuurder of rechthebbende verlangd wordt, op de fabrieken van den verhuurder werkzaam te worden, en zullen genieten een daggeld door de arbeiders op die fabrieken genoten wordende”<sup>1)</sup>.

Hic igitur non solum opifices ipsi, sed etiam liberi eorum contractu privati juris re vera officinis sunt adstricti; atque strictiore sensu, quo vir cl. BÜCHER vocem adhibet, hac in re sermo esse potest de „*officinae adhaerentia*” (Fabrikhörigkeit)<sup>2)</sup>.

Itaque ea qua peculiariter continetur colonatus: perpetua adhaerentia atque ea quidem hereditaria, jam in usu cotidiano vigebat antequam lex eam sanxit. Quo modo autem possessores hanc adhaerentiam a se ipsis impositam tuendam curaverunt? Nimirum cum colonum, si aufugerat, vi reducerent, in qua re auxilium magistratum rei publicae, sine dubio non frustra, eos invocasse veri simillimum est. Quam solita et usitata hujusmodi interventio sit, a viro cl. WEBER jam indicatum est: „Wäre unsere Staatsgewalt schwächer und die Freizügigkeit beschränkt, so würden wir mit unseren Gutsbezirken genau dieselben Erfahrungen machen, namentlich auch die, dasz privatrechtliche

<sup>1)</sup> Contractus citatus est in ephemeride „Het Volk”, d. 25 m. Mart. 1905.

<sup>2)</sup> K. BÜCHER, Entstehung der Volkswirtschaft. p. 207. Mit dem Beginn des Lohnwerkes trennt sich der Industriearbeiter persönlich von der geschlossenen Hauswirtschaft des Grundeigentümers; mit dem Uebergang zum Handwerk wird er durch die Herausziehung der Betriebsmittel auch sachlich frei und selbständig. Durch das Verlagssystem tritt er persönlich in eine neue Abhängigkeit: in die Klientel des kapitalbesitzenden Unternehmers; im Fabrikssystem wird er auch sachlich von dem letzteren abhängig. Auf vier Etappen der Entwicklung gelangt er von der Hofhörigkeit zur Fabrikhörigkeit.

Verpflichtungen gegen den Gutsherrn als Landwirt und öffentlichrechtliche gegen ihn als Obrigkeit nicht dauernd geschieden werden könnten — wovon bei frohnpflichtigen Bauern, wie in den römischen Gutsbezirken, vollends keine Rede sein konnte" <sup>1)</sup>). Hujusmodi interventionis potentiae publicae ad aliquod constitutum jure privato pactum tuendum, etiam in hodierno jure exempla quaedam extant. In universum in nostra patria haec regula valet: „iemand, die zich tot het verrichten van zekere werkzaamheden verhuurt, wordt daarom geacht niet zijn *persoon*, maar zijne *diensten* verhuurd te hebben, en kan bij niet-naleving van het contract slechts in zijn vermogen worden aangesproken, zonder feitelijk tot het volbrengen der diensten te kunnen worden gedwongen" <sup>2)</sup>). Etenim art. 2 nostrae legis de jure civili constituit: „Slavernij en alle andere persoonlijke dienstbaarheden, van welken aard of onder welke benaming ook bekend, worden in het rijk niet geduld". Notissima autem exceptio facta est quod attinet ad nautas; de iis enim lex de mercatura constituit (art. 402): „De schipper, of die hem vervangt, *kan de sterke hand inroepen* tegen diegenen, welke weigeren aan boord te komen, hetzelfde zonder verlof verlaten en weigerig zijn den verhuurden dienst ten einde toe te volvoeren”.

Eodem pertinet constitutum famosi edicti de mercenariis indicis (koelie-ordonnantie); est enim hujusmodi <sup>3)</sup>): „Arbeiders, die tijdens den duur der overeenkomst... niet naar de onderneming binnen den toegestanen of door het plaatselijk bestuur voldoende geachten tijd terugkeeren, *kunnen op koste van den werkgever door politie, of namens deze door personeel van den werkgever naar de onderneming teruggevoerd worden.*”

Alia quoque similitudo inter hoc edictum et jus colonatus notatu digna est; art. 11. statuit: „Het aanmoedigen tot niet

<sup>1)</sup> WEBER, Agargesch. p. 257. adn.

<sup>2)</sup> T. M. C. ASSEER, Handelsrecht. p. 150.

<sup>3)</sup> Koelie-ordonnantie, vastgesteld bij Besluit van Z. E. den Gouverneur-Generaal dato 13 Juli 1889 (Stbl. N<sup>o</sup>. 138) en herzien bij Besluit van 11 Maart 1898. (Stbl. N<sup>o</sup>. 78). Art. 13<sup>a</sup>.

naleving van werkcontracten of het begunstigen daarvan door het verleenen van huisvesting aan — of het in dienst nemen van een werkman, die niet door een behoorlijk ingevuld ontslagbriefje... heeft bewezen geheel vrij te zijn van dienstverplichtingen tegenover anderen, wordt... gestraft... met een geldboete van ten hoogste 100 gld. of gevangenisstraf van ten hoogste acht dagen..." Primo capite videmus complures leges easdem fere poenas minatas esse detentatoribus colonorum fugitivorum <sup>1)</sup>.

Commodissimam autem analogiam praebet lex Borussica de jure operariorum rusticorum. Hujus enim legis (datae d. 24. m. Apr. 1854) paragraphus I ei, qui „ohne gesetzmässige Ursache den Dienst versagt oder verlässt" poenam statuit „bis zu fünf Thalern oder Gefängnis bis zu drei Tagen" <sup>2)</sup>. Quo citius hoc praescriptum exsequerentur, Justitiae Minister scripsit „promemoriā" quae dicitur, datam d. 4. m. Oct. 1883, in qua inter alia haec quoque insunt: „dasz der Arbeiter gegen welchen die Dienstherrschaft den Strafantrag stellt, *vorläufig festgenommen* und durch den Amtsanwalt zu sofortiger Aburteilung dem Amtsrichter vorgeführt wird... Die vorläufige Festnahme rechtfertigt sich, weil der den Dienst versagende, also auf frischer That betroffene Arbeiter *wegen der geplanten Auswanderung fluchtverdächtig* ist."

Itaque jam qui in suspicionem venit „fugae" punitur; notanda est similitudo cum L. 1 C. Th. V. 9. <sup>3)</sup>; notanda etiam similitudo verborum: in utraque lege sermo est de „fuga."

Ei parti operariorum, quae „Gesinde" vocatur — in jure Borussico discernuntur „Tagelöhner" et „Gesinde" — major etiam vis adhibetur: hi enim a vigilibus publicis (politie) cogi possunt opus suum continuare. Art. 167 illius edicti, quod „Gesindeordnung" appellatur, ita sonat: „Gesinde, welches vor Ablauf der Dienstzeit ohne gesetzmässige Ursache den Dienst verlässt,

<sup>1)</sup> Vide pag. 9, sqq.

<sup>2)</sup> Haec et ea, quae sequuntur, sumpta sunt ex disputatione viri d. M. SCHIFFEL. Die Rechtslosigkeit der landwirtschaftlichen Arbeiter in Preussen. Neue Zeit. X. 1. (1892) p. 230, sqq. 260, sqq.

<sup>3)</sup> Vide pag. 9.

musz durch Zwangsmittel zu dessen Fortsetzung angehalten werden." Si rogatur quam ob causam in hac et in aliis rebus operarii rustici positi sint ultra solitum et commune jus, utilissimum responsum hoc est, quod datur in additis argumentis (Motive) „dasz das ländliche Dienstverhältnis einen über Privatrecht und über die Interessen, welche der Staat bei Erfüllung privatrechtlicher Verbindlichkeiten durch den Verpflichteten hat hinausgehenden Charakter besitze, der den alles ordnenden und in Harmonie bringenden Staat berechtige und zugleich verpflichte zur Aufrechterhaltung und gehörigen Gestaltung des Dienstverhältnisses Mittel zu gewähren und anzuwenden, welche über diejenigen hinausgehen, die er für rein vermögensrechtliche Vertragsverhältnisse zu Gebote stellt... Trägheit, Ungehorsam und Zuchtlosigkeit des Gesindes und der ihnen gleich zu stellenden Arbeiter beeinträchtigen nicht die anderen Kontrahenten, die Herrschaft, allein, sie gefährden das gemeine Wohl und zwar in erheblichem Masze..."

Quodsi nostris temporibus hujusmodi neglectio communis juris eorum possessorum gratia, quibus prodest, fieri potest et defendi, non mirandum est tali modo jus violatum esse eo tempore, quo possessores et multo potentiores erant neque eis quicquam pensi erat habendum. Si unus ordo hominum alteri obnoxius fit, — etenim hoc significat illa adhaerentiae receptio — id non evenit secundum jus quoddam abstractum, sed decernitur potentia. Num abhorreat a jure, quod antea fuit, id parum refert, atque profecto minime hanc ob causam in dubium licet vocare num adhaerentia ipsa ex se orta sit, nullo appulsu externo; id tantum agitur, num is ordo, qui rebus praeest, satis habeat potentiae, ut ea evincat, quae suo commodo necessaria esse putat. Quodsi hodie coloni non eodem modo obnoxii sunt ac antea, hujus rei causa non haec est, quod pugnare videtur cum jure aliquo, sed quod is ordo, cujus interest, non satis potens est ut plura extorqueat. Si posset, plus faceret. Hoc apparet ex votis, quae possessores eloquuntur in contionibus et scriptis suis. Hic postulatur „nicht nur kriminelle Bestrafung des Kontraktbruches und der Verleitung dazu", sed etiam „obligato-

rische Legitimationspflicht für ländliche Arbeiter", atque etiam „eine Polizeistrafe für den Arbeitgeber der im Drange der Geschäfte etwa einen ungestempelten Lohnsklaven einstellt", ut indignatus exclamat vir d. SCHIPPEL<sup>1)</sup>; in qua re denuo observari potest in eadem temporum necessitate, inopia operatorum, idem consilium auxilio vocari: castigationem detentatoris fugitivi. — Hic inter alia hoc quoque expetitur: „Beschänkung der Freizügigkeit in der Weise, dasz es nicht jedem Menschen auf dem Lande, ob jung, ob alt, ob abhängig oder freistehend, gestattet sei, auf gut Glück ohne weitere Existenzmittel nach der Stadt zu ziehen"<sup>2)</sup>. Jure is, cujus verba hic laudo, adit: „Zu einer offenen Proklamation der Leibeigenschaft bleibt dann allerdings nicht mehr viel zu verlangen"<sup>3)</sup>. Quodsi tam diversis temporibus aliquam condicionem privati juris publico jure tuendum curaverunt, non jam licet hujusmodi interventionem reipublicae hanc ob causam improbabilem existimare, quod abhorrere videtur a „Jure" quodam. Commutationem autem versus adhaerentiam tendentem re vera eo modo progressam esse, quo in universum posui id fieri potuisse — ita ut initio nonnulli ministri reipublicae possessoribus opem ferrent ut coloni detinerentur — hujus rei indicium habemus in petitione, qua coloni saltus Burunitani Commodum imperatorem adierunt. In ea queruntur et de aliis rebus et milites arcessitos et adhibitos esse, neque id a procuratore, qui, quoniam minister erat imperatoris, fortasse minore majoreve jure

<sup>1)</sup> MAX SCHIPPEL, Die letzten agrarischen Kongresse in Berlin. Neue Zeit. IX. 1. (1890/91) p. 820.

<sup>2)</sup> Archiv. des deutschen Landwirthschaftsraths, herausgegeben im Auftrag des Vorstandes vom Generalsekretär Dr. TRAUOGOTT MÜLLER, 18. Jahrg.; quod laudatur in Neue Zeit. XVI. 2. p. 60.

<sup>3)</sup> Cf. A. STADTHAGEN, Charakteristik der Instleute. Neue Zeit. XVII. 2. p. 790. Der Einflusz des Groszgrundbesitzes hatte es zu dem formidablen Vorschlag im bürgerlichen Gesetzbuch gebracht, zu gestatten, dasz derartige Dienstverhältnisse wie die der Instleute zu lebenslänglichen gemacht werden dürften, sobald den Instleuten freigestellt würde, die von ihnen übernommene Arbeit durch einen anderen (Scharwerker) verrichten zu lassen. Wäre dieser Vorschlag durchgegangen, so wäre die alte Leibeigenschaft und der erbunterthänige Zwangsdienst mit dem Beginn des kommenden Jahrhunderts für Deutschland wieder eingeführt.

potestatem magistratus exercere poterat<sup>1)</sup>, sed a conductore, plerumque homine illustri quidem loco nato, sed tamen privato: procurator conductori indulserat „ut missis militibus in eundem saltum Burunitanum aliquos nostrum adprehendi et vexari, aliquos vinciri, nonnullos cives etiam Romanos virgis et fustibus caedi iusserit”. Hi coloni liberi erant; adhaerentia nondum in leges erat recepta; tamen milites auxilium ferunt ut obnoxii manere cogantur; hoc non legitime factum esse ex abundanti ex eo apparet, quod coloni queruntur de hac re. Itaque possessores, vel eorum vicarii, a ministris rei publicae jam auxilium accipiebant ut colonos obnoxios tenerent, antequam adhaerentia legitime et publice erat instituta. In tali auxilio non legitimo, a magistratibus vel auctoritatis publicae administris possessoribus lato, initia inesse mihi videntur, e quibus adhaerentia orta esse existimanda sit. Inde factum est — et quod hoc factum ita explicari potest, id ipsum illam conjecturam meam confirmat — ut primae leges, quae nobis traditae sunt, nihil aliud praescribant quam hoc, ut coloni fugitivi reducantur et ut ne eis liceat fugere; hae leges igitur pro vero accipiunt adhaerentiam extare, sed eadem constanter et definite eam proclamare etiam supersedent. Talis proclamatio, qua totidem verbis declaratur colonos solo adstrictos esse neque ergo eis licere discedere, in posterioribus legibus demum inest. Quae omnia si ita sunt, non necessarium est sumere legem, quae disertis verbis adhaerentiam constituisset, inexplicabili modo periisse; immo probabile est factum primas leges, quae de jure colonatus traditae sunt, re vera primas fuisse, quae de eo sint promulgatae<sup>2)</sup>; quamquam id, opinor, fieri potuit, ut una pluresve

---

<sup>1)</sup> Conferri potest Plinii ad Trajanum epist. 27. Maximus, libertus et procurator tuus, domine, praeter decem beneficiarios, quos adsignari a me Gemellino, optimo viro, jussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. Ex his interim . . . , sicut inveneram in ministerio ejus relinquendos existimavi, praesertim cum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. Quin etiam tutelae causa, quia ita desiderabat, addidi duos equites.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. V. 9. anno 332, prima lex est in qua certo certius de colonis adhaerentibus agitur. Sed fortasse jam is colonus vel tributarius, de quo agit L. 2. C. Th. XI. 7. (anno 319) solo adstrictus erat.



rische Legitimationspflicht für ländliche Arbeiter", atque etiam „eine Polizeistrafe für den Arbeitgeber der im Drange der Geschäfte etwa einen ungestempelten Lohnsklaven einstellt", ut indignatus exclamat vir d. SCHIPPEL<sup>1)</sup>; in qua re denuo observari potest in eadem temporum necessitate, inopia operariorum, idem consilium auxilio vocari: castigationem detentatoris fugitivi. — Hic inter alia hoc quoque expetitur: „Beschänkung der Freizügigkeit in der Weise, dasz es nicht jedem Menschen auf dem Lande, ob jung, ob alt, ob abhängig oder freistehend, gestattet sei, auf gut Glück ohne weitere Existenzmittel nach der Stadt zu ziehen" <sup>2)</sup>. Jure is, cujus verba hic laudo, adit: „Zu einer offenen Proklamirung der Leibeigenschaft bleibt dann allerdings nicht mehr viel zu verlangen" <sup>3)</sup>. Quodsi tam diversis temporibus aliquam condicionem privati juris publico jure tuendum curaverunt, non jam licet hujusmodi interventionem reipublicae hanc ob causam improbabilem existimare, quod abhorrere videtur a „Jure" quodam. Commutationem autem versus adhaerentiam tendentem re vera eo modo progressam esse, quo in universum posui id fieri potuisse — ita ut initio nonnulli ministri reipublicae possessoribus opem ferrent ut coloni detinerentur — hujus rei indicium habemus in petitione, qua coloni saltus Burunitani Commodum imperatorem adierunt. In ea queruntur et de aliis rebus et milites arcessitos et adhibitos esse, neque id a procuratore, qui, quoniam minister erat imperatoris, fortasse minore majoreve jure

<sup>1)</sup> MAX SCHIPPEL, Die letzten agrarischen Kongresse in Berlin. Neue Zeit. IX. 1. (1890/91) p. 820.

<sup>2)</sup> Archiv. des deutschen Landwirthschaftsraths, herausgegeben im Auftrag des Vorstandes vom Generalsekretär Dr. TRAU GOTT MÜLLER, 18. Jahrg.; quod laudatur in Neue Zeit. XVI. 2. p. 60.

<sup>3)</sup> Cf. A. STADTHAGEN, Charakteristik der Instleute. Neue Zeit. XVII. 2. p. 790. Der Einfluss des Groszgrundbesitzes hatte es zu dem formidablen Vorschlag im bürgerlichen Gesetzbuch gebracht, zu gestatten, dasz derartige Dienstverhältnisse wie die der Instleute zu lebenslänglichen gemacht werden dürften, sobald den Instleuten freigestellt würde, die von ihnen übernommene Arbeit durch einen anderen (Scharwerker) verrichten zu lassen. Wäre dieser Vorschlag durchgegangen, so wäre die alte Leibeigenschaft und der erbunterthänige Zwangsdienst mit dem Beginn des kommenden Jahrhunderts für Deutschland wieder eingeführt.

potestatem magistratus exercere poterat<sup>1)</sup>, sed a conductore, plerumque homine illustri quidem loco nato, sed tamen privato: procurator conductori indulserat „ut missis militibus in eundem saltum Burunitanum aliquos nostrum adprehendi et vexari, aliquos vinciri, nonnullos cives etiam Romanos virgis et fustibus caedi jusserit”. Hi coloni liberi erant; adhaerentia nondum in leges erat recepta; tamen milites auxilium ferunt ut obnoxii manere cogantur; hoc non legitime factum esse ex abundanti ex eo apparet, quod coloni queruntur de hac re. Itaque possessores, vel eorum vicarii, a ministris rei publicae jam auxilium accipiebant ut colonos obnoxios tenerent, antequam adhaerentia legitime et publice erat instituta. In tali auxilio non legitimo, a magistratibus vel auctoritatis publicae administris possessoribus lato, initia inesse mihi videntur, e quibus adhaerentia orta esse existimanda sit. Inde factum est — et quod hoc factum ita explicari potest, id ipsum illam conjecturam meam confirmat — ut primae leges, quae nobis traditae sunt, nihil aliud praescribant quam hoc, ut coloni fugitivi reducantur et ut ne eis liceat fugere; hae leges igitur pro vero accipiunt adhaerentiam extare, sed eadem constanter et definite eam proclamare etiam supersedent. Talis proclamatio, qua totidem verbis declaratur colonos solo adstrictos esse neque ergo eis licere discedere, in posterioribus legibus demum inest. Quae omnia si ita sunt, non necessarium est sumere legem, quae disertis verbis adhaerentiam constituisset, inexplicabili modo periisse; immo probabile est factum primas leges, quae de jure colonatus traditae sunt, re vera primas fuisse, quae de eo sint promulgatae<sup>2)</sup>; quamquam id, opinor, fieri potuit, ut una pluresve

---

<sup>1)</sup> Conferri potest Plinii ad Trajanum epist. 27. Maximus, libertus et procurator tuus, domine, praeter decem beneficiarios, quos adsignari a me Gemellino, optimo viro, jussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. Ex his interim . . . , sicut inveneram in ministerio ejus relinquendos existimavi, praesertim cum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. Quin etiam tutelae causa, quia ita desiderabat, addidi duos equites.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. V. 9. anno 332, prima lex est in qua certo certius de colonis adhaerentibus agitur. Sed fortasse jam is colonus vel tributarius, de quo agit L. 2. C. Th. XI. 7. (anno 319) solo adstrictus erat.

leges, simili fere argumento neque magni ob eam causam ponderis, non in legum collectiones receptae essent.

Ut conductores procuratoresque vim rei publicae in suum commodum adhiberent ad colonos retinendos, eo facilius fieri poterat, quod possessores, neque minus ob eam causam eorum vicarii, compluria munera magistratuum sibi asciverant. Id agebant ut ingentes suos saltus imperio rei publicae eximerent, atque hoc modo munera magistratuum sibi vindicaverunt in quorum locum succedere videbantur. Quibus causis haec latifundiorum exemptio niteretur, primo capite indicavi<sup>1)</sup>. Hoc loco non abs re videtur nonnullos eventus hujus rei enumerare. In hac re imprimis saltus cum municipiis congruebant: ambo jus nundinarum habere poterant. Hoc jure possessores multum valebant ad species naturamque rerum dividendarum constituendas, in universum acquirebant potestatem agoranomorum<sup>2)</sup>. Suetonius narrat Claudium imperatorem hoc jus impetravisse a consulibus<sup>3)</sup>; sed non solum praedia fiscalia hoc beneficio ornabantur: Plinius in epistulis suis alibi refert praetorium quendam idem a senatu petivisse<sup>4)</sup>. Et juris nundinarum in praedio privati hominis etiam mentio fit C. I. L. VIII. 270<sup>5)</sup>. — Lex saltus, qualem ex inscriptionibus cognovimus, simile fere argumentum habet et eodem fere pertinet ac lex municipalis<sup>6)</sup>. In inscriptione quadam sermo est de vectigalibus, quae nihil aliud esse potuerunt, ut observavit vir cl. SCHULTEN, nisi merces quam pendunt coloni. „Besonders in der Exploitation sind die Domänen ein getreues Abbild der städtischen Territorien. Wie die städtischen Beamten und die des römischen

<sup>1)</sup> Vide pag. 37.

<sup>2)</sup> WEBER, Agrargeschichte, p. 260.

<sup>3)</sup> Suet. Claud. 12. Jus nundinarum in privata praedia a consulibus petit.

<sup>4)</sup> Plin. Epist. V. 4. 1. Vir praetorius Sollers a senatu petiit ut sibi instituere nundinas in agris suis permetteretur.

<sup>5)</sup> Vide etiam: L. 1. Dig. L. 11. Nundinis impetratis a principe, non utendo, qui meruit, decennii tempore usum amittit. — L. 1. C. J. IV. 60. Qui exercendorum mercatum aut nundinarum licentiam . . . nostra auctoritate meruerunt, . . .

<sup>6)</sup> Quibus rebus convenient, exposuit BEAUDOUIN, Revue, etc. XXII. p. 83. adn. 2.

Staates, so schreiben die Procuratoren der Domänen die Pacht der von den Gutsinsassen zu leistende Gefälle (vectigalia) aus... Die Uebereinstimmung sowohl des städtischen als des domanialen Pachtwesens mit der Erhebung der vectigalia populi Romani ist frappant" <sup>1)</sup>. — Supra vidimus operas, quas coloni conductori praebebant, huic fortasse debitas esse quasi successor esset magistratus, qui in vetusto municipio fuerat. — Capite primo vidimus possessores magna ex parte jurisdictionem inter incolas saltuum suorum ad se transtulisse <sup>2)</sup>; quod milites invocare potuerunt probat eos jus coercionis habuisse, licet id esset injuria vindictatum <sup>3)</sup>; id ex eo quoque apparet, quod permulti possessores privatos carceres in saltibus suis habebant, contra quod malum saepissime leges promulgari debebant <sup>4)</sup>. — Praeterquam quod his potestatibus, quas quasi magistratus habebant possessores, obsequium colonorum specie et nomine legitimum videri poterat, eae potestates imperatori facilem dederunt rationem adhaerentiam sanciendae, cum formam juridicam suggererent. Civibus municipii haec regula valebat: neminem origine sua eximi posse, i. e. neminem hujus officia detrectare posse <sup>5)</sup>. Quoniam autem colonus incola erat saltus, qui municipii loco erat, colono non licebat vectigalibus et operis deesse, quae possessori, qui quasi magistratus erat, debebat. Respublica vel potius fiscus et imperator, cujus commodum, ut supra demonstratum est, maxime agitabatur, opem praestitit, cum colonos in perpetuum origini vinciret: reddidit eos „originarios”.

De hujus vocis significatione capite primo jam dixi <sup>6)</sup>: olim idem significans ac cives, et oppositum incolae, postea usurpatum est ad varia hominum genera designanda, qui lege

---

<sup>1)</sup> SCHULTEN, *Lex Manc.* p. 44. Inscriptio hujusmodi est: Salv.... in his praediis privatis [Ju]niani Martiliani C. V. vectigalia locantur.

<sup>2)</sup> Vide pag. 76.

<sup>3)</sup> *Lex metalli Vipascensis* ipsis verbis procuratori jus mulctae tribuit. Et secundum L. 2. § 8. Dig. V. 1. His datur mulctae dicendae jus, quibus publice judicium est. Cf. BEAUDOUIN, *Revue, etc.* XXI. p. 596, 597. adn. 1.

<sup>4)</sup> Vide pag. 76.

<sup>5)</sup> Vide pag. 38.

<sup>6)</sup> *ibid.*

officio suo aut opificio vincti erant. Etenim — et haec profecto laus est viri cl. KUHN id primum ostendisse — vis, quae colonis lege est imposita, non sola extat; ad diversa alia officia et artificia quoque adhibita est. Est omnino extra propositum hujus dissertationis singillatim persequi quibus causis et qua ratione omnia haec artificia hereditaria facta sint, e quibus ad ultimum res publica orta est, in qua omnia coacta fierent („dwangstaat"). Satis est indicare quam vulgata haec res fuerit <sup>1)</sup>. „Es war die allgemeine Tendenz des sinkenden Reiches, das gewisse Zweige der Verwaltung oder der Berufsthätigkeit in einer bestimmten Abtheilung der Bevölkerung fixirt würden" <sup>2)</sup>. Quo melius vectigalia penderentur, decuriones obnoxii facti sunt, ut ea constanter redirent; quod ut non nomine tantum sed re quoque fieret, in perpetuum officio suo vincti sunt; idem fiebat cum collegiatis eorumque posteris; cum naviculariis, quibus imperatum erat ut subvectionem frumenti et olei Romam et Constantinopolim curarent; cum veteranis eorumque filiis, cum officialibus et imprimis cohortalibus. Aetate Diocletiano ratio, quae intercedebat inter subjectos et imperatorem, magis magisque eadem fiebat atque in terris orientalibus, eadem atque inter servos et dominum. Vir cl. SÆCK totius reformationis propositum („den Zweck der ganzen Reformthatigkeit") vocat: „die Erziehung zur Knechtschaft" <sup>3)</sup>.

Adhaerentiam primo in saltibus imperatoriis ortam esse et dein in praedia privatorum receptam, supra jam in dubium vocabatur, quoniam hujusmodi imitationis in fontibus nullo mentio fit. Si contemplamur omnia momenta, qua in ortu et incremento adhaerentiae valuerunt, item observare possumus hac in re nusquam ullum discrimen inter saltus imperatorios et privatos apparere. Tamen agros fiscales singularem vim habuisse credo; etenim cum et simili modo essent temperati et per totum orbis terrarum vulgati, sine dubio magnopere

<sup>1)</sup> De hac re vide imprimis: SÆCK, Geschichte. II. p. 300—336. Die Erblichkeit der Stände.

<sup>2)</sup> Cf. KARLOWA, Röm. Rechtsgeschichte. I. p. 899.

<sup>3)</sup> SÆCK, Geschichte etc. II. p. 5.

effecerunt ut novum institutum celerius et simili ratione adhiberetur, ut primum aliquo loco apparuit quam quaestuosum et utile esset. Itaque puto in saltibus imperatoriis adhaerentiam ortam quidem non esse, sed eos imprimis id perfecisse, ut celerius longe lateque in usum cotidianum reciperetur.

Postremo loco unum etiam momentum animadverti debet, quod viam, qua ab libertate ad adhaerentiam descensum est, patefecisse potest. Inopia operariorum consilium ceperant possessores ut servos rusticos quasi colonos collocarent. Cum alioquin hi servi sub custode quodam, ex ipsorum medio electo, decuriatim solum exercerent et, prout necessarium erat, ab uno agro ad alium transibant, nunc parti eorum, servis adscriptis, propria villa et proprius ager dabantur, quam una cum familia colerent; quo factum est ut servi, necessitate quadam oeconomica in multo meliorem condicionem redigerentur <sup>1)</sup>. E contrario autem ita discrimen inter servos et colonos exiguum fiebat; aliquot saeculis post, in epistulis Gregorii papae, omnino tamquam pares nominantur <sup>2)</sup>. Itaque hoc juris deminutione, qualis erat ademptio libertatis recedendi, status colonorum deterior quidem factus est, sed in vita cotidiana commutatio fortasse non omnibus conspicua videbatur. Hac sola ratione generali et indirecta, quantum equidem video, servorum condicio cum colonatus origine cohaesisse potest. —

Quomodo igitur adhaerentia sit orta atque jus colonatus constitutum hisce verbis potest comprehendere. In ingentibus latifundiis major pars agrorum, omnes fere propinqui, ab ipsa villa remoti, colonis locabantur. Duas ob causas possessores

---

<sup>1)</sup> Servos quoque a liberis suis dividi Justinianus vetabat. L. 11. C. J. III. 38: Possessionum divisiones sic fieri oportet, ut integra apud successorem unumquemque servorum vel colonorum adscripticiae condicionis seu inquilinorum proxima agnatio vel adfinitas permaneret. Quis enim ferat liberos a parentibus, a fratribus sorores, a viris conjuges segregari? Igitur si qui dissociata in jus diversum mancipia vel colonos traxerint, in unum eadem redigere cogantur. — Notatu dignum est eundem imperatorem „inhumanum” putavisse „terram quae ab initio adscripticios habebat suis quodammodo membris defraudari et colonos in aliis terris demorantes dominos terrae maximus damnis afficere.” (L. 23. C. J. XI. 48).

<sup>2)</sup> KOWALEWSKY, Die oeconomische Entwicklung Europas. I. p. 29.

hanc rationem inibant: ut agri alioquin inculti mercedem redderent, et simul ut nullo pretio operarios haberent ipsorum villae, in qua coloni operas suas et juga praebere debebant. Merces plerumque pendebatur in rebus naturalibus, certa quadam parte fructuum, valebat igitur locatio partiaria, quae medium tenet inter locationem et laborem mercennarium. Lex locationis, qua utraque pars obstricta esset, deerat; in hujus locum subierat lex saltus, a domino tantum renuntiata, cui coloni ipso incolatu obnoxii fiebant. Itaque condicio eorum non erat ordinata, quamquam iis facultas manebat recedendi. Quoniam autem contra dominos praepotentes haud multum valebant, illa libertas, ut hodie dicimus: theoretica, parum iis proderat. Si forte rebelles fiebant, ope militum domabantur. Quin hi milites etiam opem suam tulerint, ut coloni, si aufugerant, reducerent, vix dubium videtur. Num jure quodam possessores milites arcessere potuerint, pro certo dicere nequimus. Lex sane disertis verbis eos vetabat colonos suos post tempus finitum retinere; quae lex medio fere saeculi tertii adhuc valebat. Sed talem legem possessores facile eludere poterant, cum in lege saltus constituerent locationem vel potius incolatum perpetuum esse. Eo modo auxilium rei publicae ejusque militum invocare poterant ut contractum privatum tuerentur; quod si factum esset, minime mire se haberet. Postremo autem respublica vel potius imperator, quod illis temporibus fere idem est, ut reditus praediorum fiscalium atque vectigalium certiores haberet, statum, qui in usu cotidiano jam erat inveteratus, — debilibus colonis non jam potentia erat simulata illa libertate utendi — lege sanxit et confirmavit. Quod fortasse sub hac specie juris factum est: coloni incolae erant saltus, qui municipii loco erat, itaque originis muneribus erant obnoxii; quae regula ita proferebatur, ut iis omnino interdiceretur ne praedium suum relinquerent. Postea demum quasi fundamentum hujus interdictionis jactum est, quum lex proclamaret ut colonis in perpetuum solo, cui nati essent, astricti manerent. —

Apparet igitur colonatus ortum et constitutum esse *in saltibus exemptis*. Ibi colonia partiaria solita erat; ibi duplex erat illa

culturae ratio: pars agrorum a possessore vel conductore exercita, pars colonis locata; ibi igitur primum operae et juga colonis sunt imposita; ibi denique coloni dici poterant habere „originem”. Quandoquidem autem scimus non ubique latifundia parvam possessionem oppressisse, simul intellegimus solitam quoque locandi rationem semper permansisse juxta jus colonatus. In eo titulo Cod. Just., qui est de locato conducto (IV. 65), complures leges extant post imperatorem Diocletianum: eos colonos, de quibus ibi agitur, ab omni parte liberos fuisse patet. Profecto semper quoque fuerunt coloni, qui minores possessores erant. Quam misera fuerit eorum condicio, scimus ex celeberrimo loco Salviani, ubi narrat eos fundos majores expetere et colonos divitum fieri <sup>1)</sup>. Possessores etiam fuerunt ii coloni, de quibus agit C. Th. de patrociniis vicorum (XI. 1), qui ad diversorum clarissimorum patrocinia se conferebant „fraudandorum tributorum causa” <sup>2)</sup>. —

In fine hujus disputationis quam brevissime indicandum est, quid jus colonatus ipsis colonis tulerit. In qua re id profecto minime agendum est, ut iudicium quod nunc dicimus ethicum proferamus ad normam nostrarum sententiarum. Jure FUSTEL DE COULANGES, cum ad hanc quaestionem suum dat responsum, haec praemittit: „Nous ne croyons pas avoir l'obligation de chercher si l'institution fût bonne ou mauvaise en soi. On

---

<sup>1)</sup> Salv. De gubern. Dei, V. 8. 9. s.q.q. Tradunt se ad tuendum protegendumque majoribus, dediticis se divitum faciunt et quasi in jus eorum dicionemque transcendunt. — ...Itaque nonnulli, ...quum domicilia atque agellos suos aut pervasionibus perdunt, aut fugati ab exactoribus deserunt, quia tenere non possunt, fundos majorum expetunt et *coloni* divitum fiunt. Ac sicut solent aut hi, qui hostium terrore compulsi, ad castella se conferunt, aut hi, qui perduto ingenuae incolumitatis statu, ad asylum aliquod desperatione fugiunt, ita est isti, quia tueri amplius vel sedem vel dignitatem suorum natalium non queunt, jugo se *inquilinae* abjectionis addicunt, in hanc necessitatem redacti, ut extorres non facultatis tantum, sed etiam condicionis suae atque exulantes non a rebus tantum suis, sed etiam a se ipsis ac perdentes secum omnia sua et rerum proprietate careant et jus libertatis amittunt. — Notatu dignum est hoc loco vocabula, „coloni” et „inquilini” sine discrimine adhibere.

<sup>2)</sup> FABIEN THIÉBAULT, Les patrocinia vicorum. Vierteljahrschrift für Social- und Wirtschaftsgeschichte. II. (1904) p. 413.



nous ne demande pas un jugement moral sur le colonat. Il serait puéril de l'apprécier d'après les conceptions d'esprit des temps modernes. L'historien veut comprendre, non juger" <sup>1)</sup>). Hoc sane probare possumus, una tamen condicione. Praeterquam intellegere, conandum saltem est constituere, qui locus alicui instituto tribuendus sit in processu societatis humanae; dandum est iudicium non ethicum, sed, ut ita dicam, historicum. Ita in nostra re necessarium non est eloqui qualis secundum nostam sententiam condicio colonorum fuerit; contra tamen, quantum potest, constituendum est qua ratione ab aequalibus aestimata sit, qualis fuerit comparata cum ea quae antecessit, atque num discrimen ab ipsis colonis sit animadversum. De hisce rebus fontes plura nos docent quam FUSTEL putavit, satis saltem ut probare possimus ejus opinionem, secundum quam jure colonatus condicionem colonorum non solum non deteriorem sed etiam meliorem factam esse existimabat, certo certius non recte se habere. Omnium primum haec in universum jam considerari possunt: quamdiu coloni nondum lege solo erant adstricti et ita iis facultas manebat recedendi, in generali illa inopia operariorum ipsorum possessorum intererat colonis quam maxime parcere; quo certe fiebat ut oppressio colonorum certum modum non excederet. Simulac autem jure colonatus colonis unica ratio resistendi, fuga, est dempta, propriae utilitatis cura non amplius causa erat cur colonos bene tractarent. Nunc coloni inermes erant, libidini dominorum omnino dediti; sine dubio id quoque damnosum erat condicioni. — Praeterea idem vir doctus adhaerentiae id commodum fuisse putavit, quod, etiamsi colonos solo adstrictos tenet, contra autem fieri non poterat ut hi ad libidinem possessorum de praediis suis depellerentur.

Fugit autem eum aequabilitati juris, si altera pars oeconomice longe potentior est, minime aequalitatem in consuetudine cotidiana respondere. Quid aut quis tandem prohibuisset, si quacumque de causa hoc vellet dominus, quominus is colonum ex praedio depelleret et alium in ejus locum subrogaret? Id re

<sup>1)</sup> FUSTEL, l. c. p. 138.

vera factum esse ex eo apparet, quod lex promulgari debuit, quae disertis verbis possessoribus interdixit ne ita agerent, quamquam tale quid sane ipso adhaerentiae principio exclusum esse debuit. Lex hujusmodi est: „Cognovimus a nonnullis, qui patrimoniales fundos meruerunt, colonos antiquissimos proturbari atque in eorum locum vel servos proprios vel alios colonos subrogari. Edicti itaque hujus auctoritate sancimus eos qui deinceps hujusmodi aliquid crediderint attemptandum iisdem possessionibus esse privandos” <sup>1)</sup>.

Haec quoque sententia, secundum quam colonatus juris receptio publica facta esse putatur colonis non sentientibus, quandoquidem ea status, qui jam diu erat, sanciebatur tantum, falsa habenda est, etiamsi hic re vera non deterior esset factus. Supra jam observatum est longo illo et pertinaci certamine, quod possessores gesserunt ut adhaerentiam assequerentur, dum tandem imperatores ab eorum parte consisterent, haud dubium relictum esse utrasque partes magnopere conscios sibi fuisse quae res ageretur. Atque certissime amissionem libertatis recedendi a colonis sensam esse, apparet etiam ex verbis quibusdam a jurisconsulto exclamatis: „nihil enim a specie *servientium* differunt quibus facultas non datur recedendi” <sup>2)</sup>.

Etiam de statu colonorum sat multa tradita sunt ex quibus iudicium aequalium de eo cognoscere possumus. Ipsi jam saeculo

<sup>1)</sup> L. 3. C. J. XI. 63. Alia res fortasse colonis utilitatem attulit: eodem fere tempore, quo adhaerentia lege est sancta, Constantinus mercedem colonorum in perpetuum constituit, iisque potestatem dedit ut dominos suos superexactionis reos facerent. L. 1. C. J. XI. 50: Quisquis colonus plus a domino exigitur, quam ante consueverat et quam in anterioribus temporibus exactus est, adeat iudicem, cujus primum poterit habere praesentiam, et facinus comprobet, ut ille, qui vincitur amplius postulare, quam accipere consueverat, hoc facere in posterum prohibeatur, prius reddito quod superexactione perpetrata noscitur extorsisse. — Cf. L. 4. C. J. IV. 62. — L. 23. § 2. C. J. XI. 48. Caveant autem possessionum domini, in quibus tales coloni constituti sunt, aliquam innovationem vel violentiam eis inferre. Si hoc enim approbatum fuerit et per iudicem pronuntiatum, ipse provinciae moderator, in qua aliquid tale fuerit perpetratum, omnimodo provideat et laesionem, si qua subsecuta est, eis resarcire et veterem consuetudinem in relictis praestandis eis observare: *nulla nec tunc licentia concedenda colonis fundum ubi commorantur relinquere*. Vide etiam p. 70.

<sup>2)</sup> L. 2. Dig. XLIII. 29.

secundo, „miserrimos homines” se vocabant <sup>1)</sup>, et Justinianus quoque de „miseris colonis” loquitur, qui a militibus atrociter tractantur <sup>2)</sup>. Descenderunt ad condicionem servorum; plurimae constitutiones de utrisque pariter valebant. Semel dicitur pro colono alius colonus deberi „ejusdem aestimationis” <sup>3)</sup>. Quo fit ut pariter ac servis contemptui sint. Non admittuntur ad officium quoddam, quoniam tale quid pugnare creditur cum „publica honestate” <sup>4)</sup>; hujusmodi „injuriis nominationibus” ordines civitatum „descendere” dicuntur <sup>5)</sup>. Qui colonas in matrimonium ducunt, putantur „se polluere” tali conjunctione <sup>6)</sup>; adscripticiorum status „macula” appellatur <sup>7)</sup>. Valentinianus semel loquitur de „villissimo colonatu” <sup>8)</sup>, et Salvianus loco notissimo de „jugo inquilinae abjectionis” <sup>9)</sup>. — Si consideramus eos, de quibus hoc modo judicabatur, olim cives liberos fuisse, eosdemque, utpote in civitate quae in agricultura potissimum nitebatur, longe majorem partem incolarum effecisse, quo fiebat ut plurimorum duro et contempto labore profusa luxuria paucorum desidiorum solveretur, dubium esse non potest, quin per jus colonatus ingens gradus retroversum sit factus; adhaerentia colonorum una cum jugo hereditatis, quod aliis ordinibus est impositum, permultum valuerunt ad maturandum imperii illius Romani praepotentis.

<sup>1)</sup> Decretum Commodi.

<sup>2)</sup> L. 35. C. J. IV. 65; cf. L. 31. — Praeterea L. 4 et 5. C. Th. VII. 7. Prata provincialium nostrorum perniciosum est militum molestiis fatigari.... — L. 11. C. Th. XI. 7. Omnes provinciis praesidentes jussimus conveniri, ut a rei nostrae conventionem cessarent, ne, principales necessitates in publicum proferentes, eadem, qua hactenus, in colonos iniquitate saevirent.

<sup>3)</sup> L. 12. § 2. C. J. XI. 48. — In L. 7. C. J. IX. 49 omnia enumerantur quae homines proscripti descriptio bonorum (inventaris) comprehendere debeat; ibi coloni inter mancipia et pecora memorantur. (... quotve mancipia in praediis occupatis vel urbana vel rustica teneantur, quot sint casarii vel coloni, .... quot pecorum et armentorum greges).

<sup>4)</sup> L. 18. C. J. XI. 48.

<sup>5)</sup> L. 1. C. J. XI. 68.

<sup>6)</sup> Nov. Maj. VII. praef.

<sup>7)</sup> L. 24. C. J. XI. 48.

<sup>8)</sup> Nov. Val. XXVI. 1.

<sup>9)</sup> Salv. De gub. dei. V. 8. — Cf. etiam nonnulla enuntiata de nuptiis eorum, pag. 34.

APPENDICES.



# APPENDIX I.

---

## INDEX LEGUM IN QUIBUS DE COLONIS SOLO ADHAERENTIBUS AGITUR.

EX CODICE THEODOSIANO :

- II. 1. 1. Constantius ad Eustathium P.P. (a. 349) p. 65, 76.  
II. 1. 11. Arc. et Hon. Theodoro P.P. (a. 398) p. 76, 80.  
II. 30. 2. (= C. J. VIII. 15.8) Hon. et Theod. Joanni P.P.  
[(a. 422) p. 51, 80.  
II. 31. 1. (= C. J. IV. 26. 13) Hon. et Theod. Joanni P.P.  
[(a. 422) p. 51, 80.  
IV. 23. 1. (= C. J. XI. 48. 14) Arc. et Hon. Vincentio P.P.  
[Galliarum. (a. 400) p. 4, 80.  
V. 3. 1. (= C. J. I. 3. 20) Theod. et Valent. ad Taurum P.P.  
[(a. 434) p. 36, 54, 81.  
V. ~~4~~ 3. Hon. et Theod. Anthemio P.P. (a. 409) p. 27, 36, 41,  
6 [43, 55.  
V. 9. 1. Constantinus ad Provinciales. (a. 332) p. 2, 9, 10, 11, 32,  
[33, 36, 38, 57, 148, 170.  
V. 9. 2. ( $\pm$  C. J. XI. 64. 2) Valent. Theod. et Arc. Cynegio  
[P.P. (a. 386) p. 9, 36, 65.  
V. 10. 1. Hon. et Theod. Palladio P.P. (a. 419) (§ 4 = C. J.  
[XI. 48. 16). p. 3, 4, 6, 12, 13, 18, 28, 36, 38, 39, 43,  
[48, 53, 150.  
V. 11. 1. Valent. et Valens ad Clearchum Vicarium Asiae.  
[(a. 365) p. 49, 50, 81.  
V. 14. 9. (= C. J. XI. 68.6) Theod. et Valent. Valerio Comiti  
[rerum privatarum.

- VII. 7. 4. Hon. et Theod. Aureliano P.P. (a. 595) p. 178.
- VII. 7. 5. (= C. J. XI. 61. 3) Hon. et Theod. Comitibus et  
[Magistris Militum. (a. 415) p. 178.
- VII. 8. 10. (= C. J. XII. 40. 5) Hon. et Theod. Joanni P.P.  
[(a. 413). p. 36, 80.
- VII. 18. 8. Grat. Valent. et Theod. ad Flavianum P.P. (a. 383) p. 78.
- VIII. 2. 5. (= C. J. X. 71. 3) Arc. et Hon. Hadriano P.P.  
[(a. 401) p. 79.
- IX. 21. 2. ( $\pm$  C. J. IX. 24. 1) Constantinus ad Januarinum.  
[(a. 321) p. 44, 78.
- IX. 27. 6. (= C. J. XI. 27. 4) Grat. Valent. et Theod. Arc.  
[ad Provinciales. (a. 386) p. 77.
- IX. 27. 7. (= C. J. IX. 27. 5) Valent. Theod. et Arc. Severino  
[Comiti Rerum Privatarum. (a. 390) p. 78.
- IX. 42. 7. (= C. J. IX. 49. 7) Valent. Valens et Gratianus ad  
[Probum P.P. (a. 369)
- X. 1. 11. (= C. Th. XII. 6. 14) Valent. Valens et Grat. Alexan-  
[driano Comiti R.P. (a. 367) p. 69.
- X. 4. 3. Valent. et Valens ad Crescentem Vicarium Africae.  
[(a. 365?) p. 76, 80.
- X. 12. 2. Valent. et Valens ad Probum. P.P. (a. 365) p. 4, 6, 11.
- X. 20. 10. (= C. J. XI. 8. 7) Grat. Valent. et Theod. ad Hes-  
[perium P.P. (a. 380) p. 32, 39, 53.
- X. 20. 17 (postrema sententia = C. J. XI. 1. 15. quae per se  
[intellegi non potest) Theod. et Valent. Valerio Comiti Sacra-  
[rum Largitionum. (a. 427) p. 17, 54.
- XI. 1. 7. Constantius et Constans ad Senatum. (a. 361) p. 11,  
[49, 69.
- XI. 1. 14. (= C. J. XI. 48. 4) Valent. et Valens ad Modestum  
[P.P. (a. 366) p. 81.
- XI. 1. 26. Arc. et Hon. Vincentio P.P. Galliarum. (a. 399)  
[p. 4, 36, 54, 80.
- XI. 7. 2. Constantinus ad Pacatianum Vicarium Britanniarum.  
[(a. 319) p. 62, 80, 170.
- XI. 7. 11. Valent. et Valens ad Florianum Comitem R.P. (a. 365)  
p. 68, 178.

- XI. 16. 4. (= C. J. XI. 48. 1). Constantinus ad Aemilianum  
P. P. (a. 328)
- XI. 16. 5. (= C. J. XI. 75. 1). Constantius ad Italicum (a. 343)
- XI. 17. 1. Valent. et Valens Alexandrio Comiti R. P. (a. 367)
- XI. 24. 6. Hon. et Theod. Aureliano P. P. (a. 415) p. 11, 54, 68, 81.
- XII. 1. 33. Constantius et Constans Rufino Comiti Orientis  
(a. 342) [p. 24, 49, 63, 81.
- XII. 19. 1. Arc. et Hon. Vincentio P. P. Galliarum (a. 400).  
[p. 17, 25, 32, 43, 80.
- XII. 19. 2. (± C. J. XI. 66. 6). Arc. et Hon. Vincentio P. P.  
Galliarum. (a. 400). [p. 31, 43, 65, 80.
- XII. 19. 3. Arc. et Hon. Vincentio P. P. Galliarum. (a. 400). p. 32.
- XIII. 1. 3. Constantius ad Senatum. (a. 361). p. 36, 66.
- XIII. 1. 8. Valent. Valens et Grat. ad Claudium Proconsulem  
Africae. (a. 370). [p. 66, 81.
- XIII. 1. 10. Valent. Grat. et Valens ad Italicum Vicarium  
Italiae. (a. 374). p. 36, 65, 66, 80.
- XIII. 10. 3. (= C. J. XI. 48. 2.) Constantius ad Dulcitium  
consularem Aemiliae. (a. 357).
- XIV. 18. 1. (=C. J. XI. 26. 1). Grat. Valent. et Theod. ad  
Severum P. U. (a. 382).
- XVI. 5. 52. Hon. et Theod. Seleuco P. P. (a. 412) p. 32, 78.
- XVI. 5. 54. Hon. et Theod. Juliano Proconsuli Africae. (a. 414).  
p. 32, 51, 78, 81.

EX CODICE JUSTINIANO.

- I. 3. 16. Hon. et Theod. Anthemio P. P. (a. 409). p. 30, 36, 53, 69.  
(I. 3. 20 = C. Th. V. 3. 1.) p. 53.
- I. 3. 36. (37). Zeno Sebastiano P.P. (a. 484) p. 31, 47, 53, 61.
- I. 12. 6. Leo Erythrio P.P. (a. 466) p. 8, 32, 46, 57, 58.
- II. 4. 43. Anastasius Thomae P.P. Illyrici. (a. 500) p. 81.
- III. 26. 7. Constantinus ad Bulephorum Rationalem Summae  
[Rei. (a. 349) p. 75.
- III. 26. 8. Constantinus ad Taurum P.P. (a. 358) p. 32, 76.
- III. 26. 9. Valent. et Valens ad Philippum Vicarium.  
[(a. 365) p. 77.



- III. 26. 11. Theod. et Valent. Artaxi Praeposito Sacri Cubiculi.  
 [(a. 442) p. 32, 43, 77.]
- III. 38. 11. Constantinus Gerulo. (a. 334?) p. 13, 47, 58, 173.
- (IV. 10. 3. Diocletianus et Maximianus Rusticiano. (a. 286)  
 [Videtur autem haec lex agere de liberis colonis.] p. 51.
- (IV. 10. 11. Diocl. et Max. Paulae. (a. 294), de qua idem  
 [valet.) p. 51.]
- (IV. 26. 13 = C. Th. II. 31. 1.)
- IV. 65. 35. Justinianus ad Senatum. (a. 530.) p. 178.
- (VII. 24. 1. § 1. = C. J. XI. 48. 24.)
- VII. 38. 1. Valent. et Valens ad Probum P.P. Galliarum.  
 [(a. 365) p. 7, 12, 32, 79, 80.]
- VII. 38. 2. Valent. Theod. et Arcadius Dextro Comiti Rerum  
 [privatarum. (a. 387) p. 50.]
- (VIII. 15. 8. = C. Th. II. 30. 2.)
- VIII. 51. 1. Alexander Claudio. (a. 224) p. 58, 149.
- VIII. 51. 3. Justinianus Demostheni P.P. (a. 529) p. 32, 46, 58.
- (IX. 24. 1.  $\pm$  C. Th. IX. 21. 2.)
- (IX. 27. 4. = C. Th. IX. 27. 6.)
- (IX. 27. 5. = C. Th. IX. 27. 7.)
- (IX. 49. 7. = C. Th. IX. 42. 7.) p. 178.
- (X. 71. 3. = C. Th. VIII. 2. 5.) p. 79.
- (XI. 8. 7. = C. Th. X. 20. 10.)
- (XI. 8. 15. = C. Th. X. 20. 17.)
- (XI. 26. 1. = C. Th. XIV. 18. 1.) p. 26.
- (XI. 48. 1. = C. Th. XI. 16. 4.) p. 36, 64.
- (XI. 48. 2. = C. Th. XIII. 10. 3.) p. 4, 80.
- (XI. 48. 4. = C. Th. XI. 1. 14.) p. 36, 48, 49, 55, 67, 69.
- XI. 48. 5. Valent. et Valens ad Oricum Praesidem Tripolitanae.  
 (a. 366) p. 36, 69.
- XI. 48. 6. Valent. et Valens ad Germanianum P. P. Galliarum.  
 (a. 366) p. 7, 45, 58.
- XI. 48. 7. Valent. et Valens et Grat. ad Maximum P. P. p. 4,  
 [5, 32, 34, 47, 56, 151.]
- XI. 48. 8. Valent. et Valens et Grat. ad Probum P. P. p. 10,  
 [33, 48, 60, 61, 68, 80.]

- XI. 48. 11. Arc. et Hon. ad populum. p. 4, 7, 36, 79.
- XI. 48. 12. Arc. et Hon. Florentio. p. 4, 9, 10, 32, 62, 178.
- XI. 48. 13. Arc. et Hon. Vincentio P. P. Galliarum. (a. 400)  
[p. 5, 16, 35, 36, 43, 44, 55, 56, 80.]
- (XI. 48. 14. = C. Th. IV. 23. 1.) Vincentio P. P. Galliarum.  
(a. 400) p. 6.
- XI. 48. 15. Hon. et Theod. Probo. p. 3, 35.
- (XI. 48. 16. = C. Th. V. 10. 1.) p. 12, 33.
- (XI. 48. 17. = C. Th. II. 30. 2.)
- XI. 48. 18. Theod. et Valent. Basso P.P. (a. 426) p. 36, 54, 79, 178.
- XI. 48. 19. Anastasius. p. 23, 52, 54, 58, 67, 69.
- XI. 48. 20. Justinianus Demostheni P.P. (a. 529) p. 35, 49, 57,  
[58, 67, 69, 70, 74.]
- XI. 48. 21. Justinianus ad Senatum. (a. 530) p. 18, 28, 34,  
[35, 46, 57.]
- XI. 48. 22. Justinianus Juliano P.P. (a. 531) p. 26, 29, 35, 36,  
[54, 62.]
- XI. 48. 23. Justinianus Johanni P.P. (a. 531—534) p. 3, 8, 10,  
[12, 24, 35, 39, 45, 46, 47, 48, 58, 68, 69, 71, 173, 177.]
- XI. 48. 24. Justinianus Hermogeni Magistro Officiorum. p. 18,  
[19, 32, 34, 178.]
- XI. 50. 1. Constantinus ad Maximum Vicarium Orientis.  
[p. 70, 74, 81, 177.]
- XI. 50. 2. Arc. et Hon. Nebridio Comiti Asiae. p. 36, 50, 52,  
[53, 54, 55, 56, 57, 61, 71, 74, 81, 144.]
- XI. 51. 1. Valent. Theod. et Arc. Cynegio P.P. p. 4, 28, 41,  
[81, 87, 150.]
- XI. 52. 1. Theod. Arc. et Hon. Rufino P.P. p. 4, 10, 34, 59,  
[60, 61.]
- XI. 53. 1. Valent. Valens et Grat. ad Probum P.P. (a. 371)  
[p. 3, 8, 10, 32, 33, 35, 43, 45, 57, 59, 61, 62, 71, 81, 144.]
- XI. 54. 3. Justinianus. p. 15, 62.
- XI. 58. 3. Grat. Valent. Theod. Cynegio P.P. (a. 386).
- (XI. 61. 3. = C. Th. VII. 7. 5).
- XI. 62. 5. Valens, Grat. et Valent. ad Modestum P.P. (a. 377).
- XI. 63. 1. Constantinus.



CLXII. cap. 3.	p. 16, 34.
CONSTITUTIO JUSTINIANI de adscripticiis et colonis.	p. 21, 35, 151.
CONSTITUTIO PRAGMATICA. 16. (De servis vel colonis ab alio [detentis].)	p. 14, 32.
CONSTITUTIO JUSTINI de filiis liberarum.	p. 19, 22, 33, 152.
SACRUM PRAGMATICUM TIBERII E NOVELLIS VALENTIANI III.	p. 22, 58.
VI. 1. § 1.	p. 71, 73.
XVIII. § 8.	p. 8, 30, 139.
XXII. § 3.	p. 32.
XXVI. § 1.	p. 178.
XXVI. § 4.	p. 28, 39.
XXVI. § 6.	p. 39.
XXX. Praef.	p. 29, 33, 36.
XXX. § 2.	p. 6, 12.
XXX. § 3.	p. 6.
XXX. § 5.	p. 27, 33.
XXX. § 6.	p. 27, 32.
XXXII. § 3.	p. 78.
XXXIV. § 3.	p. 30, 39.
XXXIV. § 6.	p. 30.
XXXIV. § 18.	p. 5, 39, 56.
XXXIV. § 19.	p. 14.
(Nov. THEOD. VII. 4. § 2. = C. J. XII. 54. 3)	p. 36.
Nov. MAJORIANI. VII. praef.	p. 32.
—————. VII. 1. § 1 et 2.	p. 25.
—————. VII. § 5.	p. 17.
NOVELLA SEVERI II.	p. 25, 33.
CODEX HERMOGENIANUS XVI.	p. 51.

## APPENDIX II.

---

### TITULI LIBRORUM QUI IN HAC DISSERTATIONE CITATI SUNT AUT AD IDEM ARGUMENTUM SPECTANT.

- G. ADLER. Die Socialreform im Altertum. Jena. 1897.
- C. H. BAALÉ. De provinciis africanis. Groningen. 1896.
- . Ueber den Defensor Civitatis. Amsterdam. 1905.
- E. BEAUDOUIN. Les grands domaines dans l'empire romain, d'après des travaux récents. *Nouv. Revue historique de droit français et étranger.* XXI. 1897. XXII. 1898.
- L. BRENTANO. Das neue Gesicht der gewerblichen Arbeiterfrage. *Soziale Praxis.* 1905.
- K. BÜCHER. Die Entstehung der Volkswirtschaft. Tübingen. 1904.
- F. CAUER. Die Stellung der arbeitenden Klassen in Hellas und Rom. *Neue Jahrb. für das klass. Altertum.* II. 1899.
- E. CUQ. Le colonat partiaire dans l'Afrique romaine, d'après l'inscription d'Henchir Mettich. Paris. 1897. (quocum cf. *Variétés. Nouv. Revue de dr. fr. et étr.* XXII. 1898. p. 391. par Henry Monnier).
- H. DERNBURG. *Pandekten.* Berlin. 1900.
- P. ERNST. Die sozialen Zustände im röm. Reich vor dem Einfall der Barbaren. *Neue Zeit.* XI. 2.
- FUSTEL DE COULANGES. Le colonat romain. *Recherches sur quelques problèmes d'histoire.* Paris. 1885.
- F. VAN DER GOES. *Grootkapitaal en kleinhandel.* Amsterdam. 1904.
- J. GOTHOFREDUS. *Paratitlon ad C. Th.* V. 9.
- C. GRÜNBERG. s. v. Unfreiheit. *Handwörterbuch der Staatswissenschaften.*

- L. M. HARTMANN. Ueber die Ursache des Unterganges des röm. Reiches. Archiv für soz. Gesetzgebung und Statistik. II. 1889.
- \_\_\_\_\_. Judicium de viri cl. WEBER libro: Römische Agrargeschichte. Archiv, etc. V. 1892.
- \_\_\_\_\_. Ueber den römischen Colonat und seinem Zusammenhang mit dem Militärdienste. Arch. epigr. Mitteil. aus Oesterreich-Ungarn. XVII. 1894.
- \_\_\_\_\_. Bemerkungen über Besitzgemeinschaft und Wirtschaftsgemeinschaft in italienischen Privaturkunden. Zeitschr. für Sozial-und Wirtschaftsgesch. V. 1897.
- B. HEISTERBERGK. Die Entstehung des Colonats. Leipzig. 1876.
- F. HERTZ. Moderne Rassentheorien. Wien. 1904.
- O. HIRSCHFELD. Der Grundbesitz der römischen Kaiser in den ersten drei Jahrhunderten. Beiträge zur Alten Gesch. II. 1902.
- \_\_\_\_\_. Die kaiserlichen Verwaltungsbeamten bis auf Diocletian. Berlin. 1905.
- R. HIS. Die Domänen der römischen Kaiserzeit. Leipzig. 1896.
- K. HOFFMEISTER. Die wirtschaftliche Entwicklung Roms. Wien. 1899.
- PH. E. HUSCHKE. Ueber den Census und die Steuerverfassung der früheren röm. Kaiserzeit. Berlin. 1847.
- J. JUNG. Zur Würdigung der agrarischen Verhältnisse in der röm. Kaiserzeit. Hist. Zeitschr. Band 42. (Neue Folge 6.) 1879.
- \_\_\_\_\_. Ueber die Bevölkerungsverhältnisse des röm. Reichs. Wiener Studien. I. 1879.
- A. KALTHOFF. Die Entstehung des Christentums. Leipzig. 1904.
- O. KARLOWA. Römische Rechtsgeschichte. I. Leipzig. 1885.
- K. KAUTSKY. Die Vorläufer des neueren Sozialismus. I. Stuttgart. 1895.
- \_\_\_\_\_. Die Rebellionen in Schillers Dramen. Neue Zeit. XXIII. 1.

- M. KOVALEWSKY. Die ökonomische Entwicklung Europa's. Berlin. 1901, 1902.
- E. KUHN. Die städtische und bürgerliche Verfassung des römischen Reichs. Leipzig. 1864.
- F. LEO. Die capitatio plebeja und die capitatio humana. Berlin. 1903.
- W. LIEBENAM. Städteverwaltung im röm. Kaiserreich. Berlin. 1900.
- A. LORIA. Die Sklavenwirtschaft im modernen Amerika und im Europäischen Altertum. Zeitschr. für Sozial- und Wirtschaftsgesch. IV. 1896.
- J. MARQUARDT. Römische Staatsverwaltung. Leipzig. 1881.  
 ————. Das Privatleben der Römer. Leipzig. 1886.
- K. MARX. Das Kapital I. Hamburg. 1890.
- ED. MEYER. Die wirtschaftliche Entwicklung des Altertums. Jena. 1895.  
 ————. s. v. Bevölkerungswesen. Handwörterbuch der Staatswissenschaften.
- P. M. MEYER. Zum Ursprung des Colonats. Beiträge zur alten Geschichte. J. 1902.
- R. MEYER. Die Rentengütergesetze in Preussen. Neue Zeit XI. 2.
- TH. MOMMSEN. Römische Geschichte. V. Berlin. 1904.  
 ————. Römisches Staatsrecht. Leipzig.  
 ————. Decret des Commodus für den saltus Burunitanus. Hermes XV. 1880.  
 ————. Die italische Bodenteilung und die Alimentartafeln. Hermes. XIX. 1884.  
 ————. Das Römische Militärwesen seit Diocletian. Hermes. XXIV. 1889.  
 ————. Die Bewirtschaftung der Kirchengüter unter Papst Gregor I. Zeitschr. f. Soz. und Wirtsch. gesch. I. 1893.
- R. PÖHLMANN. Die Ueberbevölkerung der antiken Groszstädte. Leipzig. 1884.
- G. F. PUCHTA. Cursus der Institutionen II. Leipzig. 1854.
- H. P. G. QUACK. De Socialisten. Personen en stelsels. ed. II. Amsterdam. 1905.

- M. Ch. RÉVILLOUT. Etude sur l'histoire du colonat chez les Romains. Revue hist. de droit français et étranger. II. 1856. III. 1857.
- RODBERTUS. Zur Geschichte der agrarischen Entwicklung Roms. Jahrb. für Nat.- Oekon. und Stat. II. 1864.
- M. ROSTOWZEW. Geschichte der Staatspacht. Leipzig. 1903.
- . Der Ursprung des Colonats. Beiträge zur alten Geschichte. I. 1902.
- A. RUDORFF. Das Edict des Tiberius Julius Alexander. Rhein. Museum. II. Erstes Heft. 1828.
- F. C. VON SAVIGNY. Der Römische Colonat. Vermischte Schriften. Band II. 1850.
- M. SCHANZ. Geschichte der röm. Literatur.
- M. SCHIPPEL. Die letzten agrarischen Kongresse in Berlin. Neue Zeit. IX. 1.
- . Die Rechtlosigkeit der landwirtschaftlichen Arbeiter in Preussen. Neue Zeit. X. 1.
- A. SCHULTEN. Die lex Hadriana de rudibus agris. Hermes. XXIV. 1894.
- . Die römischen Grundherrschaften. Weimar. 1896.
- . Die lex Manciana, eine afrikanische Domänenordnung. Berlin. 1897.
- . Der Römische Kolonat. Hist. Zeitschrift. Band 78. (Neue Folge 42) 1897.
- . Das Römische Afrika. Leipzig. 1899.
- O. SEECK. Die Schatzungsordnung Diocletians. Zeitschr. für Soz. und Wirtsch. Gesch. IV. 1896.
- . Die Pachtbestimmungen eines Römischen Guts in Afrika. Zeitschr. etc. VI. 1896.
- . Geschichte des Untergangs der antiken Welt. Berlin. I. 1897. II. 1901.
- . s. v. Colonatus. Reallexicon Pauly-Wissowa.
- G. SEGRÉ. Studio sulla origine e sullo sviluppo storico del colonato romano. Archivio Giuridico. 42, 43, 44, 46. 1889—1891.



- W. SOMBART. *Commentatio de viri cl. WEBER libro: Römische Agrargeschichte. Zeitschr. für Soz. und Wirtsch. Gesch. I. 1893.*
- A. STADTHAGEN. *Charakteristik der Instleute. Neue Zeit XVII. 2.*  
 ————. *Ausnahmerechte gegen die ländlichen Arbeiter in Deutschland. Neue Zeit. XVIII. 1.*
- H. SWOBODA. *Beiträge zur griechischen Rechtsgeschichte. Weimar. 1905.*
- F. THIBAUT. *Les impôts directs sous le bas-empire romain. Paris. 1900.*  
 ————. *Examen de la théorie de M. LEO sur la capitatio plebeja. Vierteljahrschrift f. Soz. u. Wirtschaftsgeschichte. I. 1903.*  
 ————. *Les patrocinia vicorum. Vierteljahrschrift etc. II. 1904. — Hae tres commentationes mihi in manus venerunt postquam primum caput jam prelis est commissum.*
- J. TOUTAIN. *L'inscription d'Henchir Mettich. Nouv. Revue de droit fr. et étr. XXI. 1897.*
- M. W. F. TREUB. *Hoofdstukken uit de geschiedenis der Staatshuishoudkunde. Haarlem. 1904.*
- H. WALLON. *Histoire de l'Esclavage dans l'Antiquité. III. Paris. 1879.*
- S. WASZYNSKI. *Die Bodenpacht. Agrargeschichtliche Papyrusstudien. Leipzig. 1905.*
- M. WEBER. *Die Römische Agrargeschichte. Stuttgart. 1891.*
- M. WLASSAK. *Die prätorischen Freilassungen. Weimar. 1905.*
- A. W. ZUMPT. *Ueber die Entstehung und historische Entwicklung des Colonats. Rhein. Museum. Neue Folge. III. 1845.*
-

# THESES.

---

## I.

In saltibus orientis agrorum coloni operas iugaque præbere

---

## CORRIGENDA.

- p. 2. adn. 4. pro C. Th. V. 10. lege C. Th. V. 9.  
p. 34. adn. 4. pro Nov. Just. XLVII. lege Nov. Just. LVII.  
p. 39. adn. 5. pro L. 1. C. Th. X. 10. lege L. 1. C. Th. V. 10.  
p. 41. vs. 11. pro L. 1. C. J. XI. 41. lege L. 1. C. J. XI. 51.  
p. 52. adn. 3. vs. 8. pro L. 25. C. J. XI. 48. lege L. 1. C. J. XI. 69.

αει δεσται η.

## VI.

Etiam post tempora Constantini tributum capitis permansit.

## VII.

*Οι εκτήμοροι*, quos vir cl. NABER (Photius. I. p. 57) recte scripsit *colonos* fuisse, solo adstricti erant.

- W. SOMBART. *Commentatio de viri cl. WEBER libro: Römische Agrargeschichte. Zeitschr. für Soz. und Wirtsch. Gesch. I. 1893.*
- A. STADTHAGEN. *Charakteristik der Instleute. Neue Zeit XVII. 2.*  
 ————. *Ausnahmerechte gegen die ländlichen Arbeiter in Deutschland. Neue Zeit. XVIII. 1.*
- H. SWOBODA. *Beiträge zur griechischen Rechtsgeschichte. Weimar. 1905.*
- F. THIBAUT. *Les impôts directs sous le bas-empire romain. Paris. 1900.*  
 ————. *Examen de la théorie de M. LEO sur la capitatio plebeja. Vierteljahrschrift f. Soz. u. Wirtschaftsgeschichte. I. 1903.*  
 ————. *Les patrocinia vicorum. Vierteljahrschrift etc. II. 1904. — Hae tres commentationes mihi in manus venerunt postquam primum caput jam prelis est commissum.*
- J. TOUTAIN. *L'inscription d'Henchir Mettich. Nouv. Revue de droit fr. et étr. XXI. 1897.*
- M. W. F. TREUB. *Hoofdstukken uit de geschiedenis der Staatshuishoudkunde. Haarlem. 1904.*
- H. WALLON. *Histoire de l'Esclavage dans l'Antiquité. III. Paris. 1879.*
- S. WASZYNSKI. *Die Bodenpacht. Agrargeschichtliche Papyrusstudien. Leipzig. 1905.*
- M. WEBER. *Die Römische Agrargeschichte. Stuttgart. 1891.*
- M. WLASSAK. *Die prätorischen Freilassungen. Weimar. 1905.*
- A. W. ZUMPT. *Ueber die Entstehung und historische Entwicklung des Colonats. Rhein. Museum. Neue Folge. III. 1845.*
-

# THESES.

---

## I.

In saltibus exemptis primum coloni operas jugaque praebere  
~~coacti sunt. dein adhaerentia in mores et ius est recepta~~

## CORRIGENDA.

- p. 2. adn. 4. pro C. Th. V. 10. lege C. Th. V. 9.  
p. 34. adn. 4. pro Nov. Just. XLVII. lege Nov. Just. LVII.  
p. 39. adn. 5. pro L. 1. C. Th. X. 10. lege L. 1. C. Th. V. 10.  
p. 41. vs. 11. pro L. 1. C. J. XI. 41. lege L. 1. C. J. XI. 51.  
p. 52. adn. 3. vs. 8. pro L. 25. C. J. XI. 48. lege L. 1. C. J. XI. 69.

der Besten").

## VI.

Etiam post tempora Constantini tributum capitis permansit.

## VII.

*Oi ἐκτήμεροι*, quos vir cl. NABER (Photius. I. p. 57) recte scripsit *colonos* fuisse, solo adstricti erant.

- W. SOMBART. Commentatio de viri cl. WEBER libro: Römische Agrargeschichte. Zeitschr. für Soz. und Wirtsch. Gesch. I. 1893.
- A. STADTHAGEN. Charakteristik der Instleute. Neue Zeit XVII. 2.  
 ————. Ausnahmerechte gegen die ländlichen Arbeiter in Deutschland. Neue Zeit. XVIII. 1.
- H. SWOBODA. Beiträge zur griechischen Rechtsgeschichte. Weimar. 1905.
- F. THIBAULT. Les impôts directs sous le bas-empire romain. Paris. 1900.  
 ————. Examen de la théorie de M. LEO sur la capitatio plebeja. Vierteljahrschrift f. Soz. u. Wirtschafts-  
 geschichte. I. 1909
- 

III. 1845.

---

## THESES.

---

### I.

In saltibus exemptis primum coloni operas jugaque praebere coacti sunt, dein adhaerentia in mores et jus est recepta.

### II.

Notatu dignum est ecclesiam Christianam auctoritate sua usam non esse, ut prohiberet liberis agricolis jugum colonatus imponi.

### III.

In imperio Romano nunquam colonorum cultura plane labori servorum rusticorum locum cessit.

### IV.

Errat vir cl. BÜCHER cum arbitratur praecipuam rerum procreandarum rationem, quam antiquitas vidit, eam fuisse, quam dicit „geschlossene Hauswirtschaft“.

### V.

Injuria vir cl. SÆCK in explicando imperii Romani interitu magnam vim tribuit optimi cujusque extinctioni („Ausrottung der Besten“).

### VI.

Etiam post tempora Constantini tributum capitis permansit.

### VII.

*Oi ἐκτήμεροι*, quos vir cl. NABER (Photius. I. p. 57) recte scripsit *colonos* fuisse, solo adstricti erant.

—  
VIII.

L. 1. C. J. XI. 48.

Numquam *rationibus* vel colligendis frugibus insistens agricola ad extraordinaria onera trahatur, cum providentiae sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere.

Pro „*rationibus*” legendum est „*sationibus*”.

IX.

L. 13. § 1. C. J. XI. 48.

Illud etiam servandum est, ut, si quando utriusque fundi idem dominus de possessione referta cultoribus ad eam coloniam quae laborabat tenuitate transtulerit, idemque fundi ad diversorum jura dominorum qualibet sorte transierint, maneat quidem facta translatio, sed ita, ut praedii ejus dominus, a quo coloni probantur fuisse transducti, translatorum agnationem restituat.

Pro „a quo” lege „quo”.

X.

Varro, de re rustica. I. 17. 2.

Omnes agri coluntur hominibus servis aut liberis aut utrisque: liberis, aut cum ipsi colunt, ut plerique pauperculi cum sua progenie, aut *mercennariis*, cum conducticiis liberorum operis res majores, ut vindemias ac faenisicia, administrant.

Verba „aut *mercennariis*, cum” ita transponenda sunt: „aut cum *mercennariis*”.

XI.

Sall. Bell. Cat. c. 59. 3.

Ipsa cum libertis et *calonibus* propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur.

Pro „*calonibus*” legendum est „*colonis*”.

XII.

Caes. B. G. V. 48. 9.

Ille perlectam in conventu militum recitat maxime omnes laetitia adficit.

Post „*ille*” inserendum esse puto „*epistulam*”.

XIII.

Verg. Aen. I. 173.

et sale *tabentes* artus in litore ponunt.  
Errat qui pro „*tabentes*” mavult legere „*labentes*”.

XIV.

Soph. Trach. 56, sq.

μάλιστα δ' ὄντιεν εἰκὸς Ἵλλον, εἰ πατρὸς  
νέμοι τιν' ὄραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν;

Viro cl. WECKLEIN assentiendum esse puto legenti:

εἰ πατρὸς  
νέμειν τιν' ὄραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖ;

XV.

Thuc. VI. 6. 2.

μαλιστα δ' αὐτοῖς ἐξώρμησαν Ἐγεσταίων τε πρέσβεις  
παρόντες καὶ προθυμότερον ἐπικαλούμενοι.

Pro „παρόντες” legendum esse censeo „παριόντες”.

XVI.

Thuc. VI. 8. 3.

μετὰ δὲ τοῦτο ἡμέρη πέμπτη ἐκκλησία αὐθις ἐγίγνετο,  
καθ' ὅτι χρῆ τὴν παρασκευὴν ταῖς ναυσὶ τάχιστα γίγνε-  
σθαι, καὶ τοῖς στρατηγοῖς, εἰ τοῦ προσδέοιντο, ψηφισθῆναι  
ἐς τὸν ἐκπλοῦν.

Verba καθ' ὅτι parum recte STEUP interpretatur: „wie, auf  
welche Weise”.

XVII.

Perperam BRUGMANN (Gr. Gramm. <sup>3</sup> p. 488) statuit rerum  
scriptores Graecos in verbi formis ἔλεγε et εἶπε solitos esse  
„vor einer zu berichtenden Rede zu sagen ἔλεγε τοιαῦδε,  
nach ihrer Vorführung aber τοιαῦτα εἶπε”.

XVIII.

In recentioribus editionibus (Reiskiana, Hartmaniana, Her-  
werdeniana) Lys. XIII. 74. ita legitur:

Πότερον οὖν δοκοῦσι ὑμῖν οἱ τριάκοντα καὶ ἡ βουλὴ ἢ  
τότε βουλευούσα, οἱ αὐτοὶ ἦσαν ἀπαντες τῶν τετρακοσίων



—

τῶν φυγόντων, ἀφεῖναι ἂν λαβόντες τὸν Φρύνιχον ἀποκτείναντα, ἢ τιμωρήσασθαι ὑπὲρ Φρυνίχου καὶ τῆς φυγῆς ἧς αὐτοὶ ἔφυγον; ἐγὼ μὲν οἶμαι τιμωρήσασθαι ἂν.

Retinenda est codicum lectio: „τιμωρεῖσθαι ἂν”.

#### XIX.

Erravit Plutarchus (Vita Cim. 8) cum Cimonem, post Scyrum insulam subjectam Athenas reversum, disceptavisse scripsit in certamine tragoedorum, ex quo Sophocles adulescens victor evasit.

#### XX.

Ladae statua Myroni minori tribuenda est.

#### XXI.

Consentaneum est credere homines eam divinam potentiam, quae apud Homerum *Μοῖρα* dicitur, tum sibi informare coepisse, cum fortunae condicionisque discrimina inter divites et pauperes tam conspicua tamque perpetua essent facta, ut invicta quadam Necessitate imposita esse viderentur.

#### XXII.

Haud minus quam historiae praeceptoribus iis quoque, qui in gymnasiis linguas graecam et latinam docent, curandum est ut in interpretandis scriptoribus quam minime discipulorum animos advertant ad res militares.

#### XXIII.

Facultati literarum humaniorum permittendum est ut, quemadmodum ceterae facultates, ipsa quoque statuatur quo sermone eos, qui dissertationem academicam conscripturi sint, uti oporteat.

---





*Handwritten mark*



MAR 5 1912  
APR 20 1912

2044 077 609 501

